DE STIRPIBVS ALIQVOT, EPISTOLAE V.

MELCHIORIS GVILANDINI BORVSSI R. IIII.

CONRADI GESNERI TIGVRINI I.

Eiusdem Guilandini
Ad Illustrem Comitem NICOLAVM A SALMO &c.
Manuco diattæ, hoc est auiculæ Dei descriptio.

Adiecta est
ANDREAE PATRICII AD GABRIELEM FALLOPPIVM præfatio.




PATAVII,
Apud Gratiosum Perchacinum.
M D LVIII.



ANDR. PATRICIVS [2]
POLONVS.

GABRIELI FALLOPPIO MVTINENSI.
S. P. D.



MAGNA quædam & admirabilis res est, Gabriel Falloppi, vt scis, hominum ars atque industria, in quam se ea cunq; partem conuerterit: sed eadem ita vel tenera est ac delicata, vt nisi in summis fauoribus vigere non possit; vel arrogans penè ac superba, vt nullum sui contemptum ferre posse videatur: & breuiter talis, vt amari nempe velit et magnifieri. Ac me quidem de iis rebus cogitantem in hanc ratio ipsa ducit sententiam, vt existimem vix meher culè plura naturam ipsam efficiendo producere, quàm hominum ingenia inquirendo inuenire potuisse. Nam vel vim ipsam naturæ vniuersam motionesq; omnes, & qui ex his dependent effectus infinitos plenissimè perscrutati, ratione & intelligentia comprehensos tenuerunt, vel si quid sic in intima natura abdiderat, vt eò nulla humani ingenii acies posset pertinere, id quidem cum sui artificis contemplationi reliquissent, ad alia quadam conuersi ipsi, tot res nobis, et tam varias meditando pepererunt, vt se planè naturæ æmulos atque imitatores esse ostenderint. Quorum industriæ vestigia si ad nos integra, vt erant, peruenissent, perbeata hominum studiosorum hoc tempore vita esset, cùm vel ad absolutam eruditionem non magnopere quicquam requi-

rerent, vel illis iam eorum inuentis freti, facilius ad reliqua, si qua essent in naturæ cognitione inuestiganda, penetrarent. Sed factum fuit posterioris ætatis vel fato quodam, vel scelere, vt relictis ac proiectis iis bonis, quæ nobis parta fuerunt immortalibus illorum vigiliis atque laboribus, in mutuas quasdam cædes homines exarserint, ciuitatesq́, & respub. atque adeò orbem ipsum terrarum diuinis illorum monumentis florentem & affluentem, bellis, seditionibus, sanguine, & ipso propemodum parricidio repleuerint, ac inquinarint: vnde optimi illius, in quo tunc res erant, status deformatio; vnde omnium quoque artium interitus & occasus fuit consequutus. Hoc est illud videlicet quod cum industria hominum, tantarum ac talium rerum parens & auctor, vel non, sicut oportuit, studiis posteriorum fota esset, vel ab efferatis & crudelitate imbutis animis spreta contemptaq́, iaceret, egregiè se de ingratis hominibus vindicauit: vitamq́, illorum ciuilem iam & politam, & omnibus rebus ad ocium tranquillitatemq́, instructam, in horridam rursus et barbaram, & modò non in mortem commutauit: vt non minus nobis multò in reuocandis hoc tempore amissis ac deperditis artibus, quàm maioribus olim nostris in iis pariendis, necessariò sit laborandum. Publica iam, & peruulgata querela est, de eloquentiæ et latinarum literarum studio: quod cum ante annum, vt puto, sesquimillesimum ita floruisset, vt ad summum peruenerit, citò post deinde, cum in illam temporum perturbationem incidisset, qua præclaræ omnes artes vel hominum negligentia proiectæ, vel bellis oppressæ funditus corruerant, ita extinctum prorsus ac deletum fuit, vt ei reparando & recuperando totum istud quatuor penè ætatum spatium nondum sufficiat. Et nunc sanè ego nihil magis vereor, quàm ne iterum ipsius, rursus in nos aliquantū conuersus, nobis tamē minimè gratus animus, de incepto à nobis in perpetuum nostra culpa abalienatus esse videatur, cum magno nostro sempiternoq́, damno atque dedecore. Vix iam enim eius magistros tot ex omni eruditorū numero retinemus, vt primariarum prouinciarum scholis primariis suf-

guli queant sufficere: sed alteræ quidem scholæ alteris eripere necesse habeant, alteræ autem, cum suum sibi eripi æquis animis patiantur, alium, quem erepto sufficiant, vel non habeant, vel, quod etiam fortaßis acerbius est, prorsus non curent. Ita fit, vt eorum quidem numerus perexiguus, existimatio autem esse videatur perpusilla. Quid de vestris, Falloppi, herbis, stirpibus, & reliquis terra natis? Equidem omnis earum ratio atq; disciplina, adamussim, vt sunt res humanæ, veteribus ipsis cognita, plenè nobis fuit illorum libris tradita: quæ res tantam siue in cognitione admirationem, siue in vsu & tractatione vtilitatem habet, vt alterum diuinæ cuiusdam naturæ proprium, alterum humanæ summopere necessarium esse videatur. Et tamen hoc totum quicquid erat, ita superiorum nostrorum seculorum incuriã ne dicam, an iniuria, an etiam vtroq;, amisimus, vt vel ipsa in hoc genere antiquitatis vestigia aut nulla habeamus, aut pauca ad id tantum relicta, vt pleriq; ferè omnes, quid nesciamus, scire teneréq; poßimus, pauci, vt cum, quid sibi veteres illi voluerint, bene coniecerint, vates poßint optimi perhiberi. Etsi enim complures extent quidem, qui se totos in id studium nostris temporibus dediderunt, vt in tanta earum rerum obscuritate probent coniecturas suas hominibus eruditis; fit tamen nescio quo modo, ipsius certè fortaßis disciplinæ offenso, necdum planè supplicius nostris exaturato animo, vt non vehementer adhuc multi extiterint, qui palmam in hoc genere in medio positam, ferre posse videantur. Quorum omnium sanè conatus, non modò non reprehendendus, sed etiam nimirum laudandus est & adiuuandus; euentus quidem certè, quoniam paucorum est, in paucis est illis admirandus: sicuti tu optimè iudicare potes, cui vel præcipuè omnium in hoc honoris cursu contendentium nauitas, atq; industria perspecta est. Præterquàm enim quòd ipse quoq; cum iis in eodem stadio sic decurras, vt vincas propemodum, illud etiam præ cæteris obtines tuis æqualibus, quòd magna sit apud omnes nominis doctrinæq; tuæ celebritas & gratia, magna etiã eius, quę inter ordinarios principis istius scholæ magistros cum

magna laude possides, loci tui splendor atque dignitas: ingenii autem vis & vigor tantus, quantus natura insitus, graecis latinisq; literis abundè confirmatus videri debet: quem mirificè etiam auget & cumulat iudicii subtilitas & acumen, non aetate adhuc partum, sed legendis multis acquisitum, & multis experiendis roboratum: quorum alia faciunt, vt multa ad te quotidie in hoc genere perferantur, alia, vt quae perlata sunt, diligenter suis ponderibus examinata iudicentur. Quod cum ita sit, visum mihi quoque fuit has quinque Melchioris Guilandini Borussi, id autem est propemodum Poloni, epistolas de quibusdã eiusmodi rebus, partim ad me in Poloniam, partim ad alios conscriptas, ad te mittere: de quibus ita statuas, vt possit ne is noster Sarmata inter paucos illos, qui in hoc studiorum genere cum aliqua laude versantur, referri ac reponi, id videre te duce, teq; auctore decernere possimus. Quanquam enim facilè intelligam, quid illi à Conrado Gesnero, homine sine controuersia erudito, et, vt ego statuo, sanè bono, tribuatur in hac quidem epistola, quam ad te quoque mitto: tamen quoniam propter nostram maiorem tecum familiaritatem, maior est quoque tua apud nos auctoritas, videre cupio, ecquid scriptis ipsius, vt nonnullis iam antè, sic nunc quoque iis, quae mitto, approbationis tuae testimonium non patiaris defuisse. Mihi sanè, etsi is à puro tersoq; tuo scribendi et loquendi genere nonnihil aberret (quis enim promptum illum ac expeditum leporem tuum, quem ego sum semper prae caeteris tuis virtutibus singulariter admiratus, exaequet aut assequatur?) res tamen ipsas, quas tractat, satis videtur posse omnibus approbare: idq; cum in iis epistolis, tum magis etiam in eo libro, quem illum iampridem in hoc genere instituere memini: quem, quantum de ipsius feruore adolescentiae detractum fuerit, tantò limatiorem absolutioremq; proditurum existimo. Omnino enim non solùm non adolescentis, sed vix etiam hominis est eius facultatis professio, qua varietati huic, & copiae rerum natura constantium nomina aut imponuntur noua, aut vetera amissa, ex antiquitate repetita restituuntur: quorum

alterum Pythagoras summæ sapientiæ, Plato etiam diuini ingenii esse pronunciauit: alterum autem cum priori par penè sit & æquale, facilè intelligi potest, quantam difficultatem propositam habeat ad sese explicandum ex tot laqueis & inuolucris. Quo magis nobis uidendum est, ut hunc nostrum, quem magna planè spe in hæc studia ingressum esse non dubito profiteri, ueluti nascentem quandam herbam, bonis ominibus, & sicuti te facere animaduerto, etiam fauoribus prosequamur: ne, si duri aut ingrati fuerimus, & hanc quidem sic teneram præfocemus, & in uniuersum artis ipsius præclaræ, antea, sicut dixi, iratæ, nunc, ut uidetur, ad reconciliandam iam gratiam nonnihil inclinatæ, animos ita rursus exasperemus, vt in conspectum deinceps nostrum nunquam esse reditura uideatur. Te quidem Gabriel Falloppi, dum habebimus, ut autem quàm diutissimè habeamus, uelle & optare debemus, non nimis, ut puto, ueteres illos in stirpiũ tradenda cognitione Theophrastos, in corporum humanorum fabricatione demonstranda Herophilos, in morbis autem abigendis, & obligandis uulneribus Aesculapios desiderabimus. Ita te enim iampridem comparasti, ut cum herbis atque stirpibus humana tibi esse curanda corpora proposueris, & illarum naturas solerter, et horum conformationem atque figuram subtiliter, & totam denique ipsam medendi rationem feliciter peruestigaueris: sic ut te hæc ista non solùm præ multis, qui uiuunt, nosse, sed etiam, quod in omnibus rebus caput esse dicitur, ferè præ omnibus decere, facilè queas demonstrare. Id quod mehercle uniuersum uel maximè in ipsa tua corporum sectione apparere solet: in qua, cum studiis ingeniosorum hominum planè satisfacias, quod est peritiæ, tum nostro etiam, hominum minimè duris pectoribus, fastidio quodam naturali ita indulges, itaq; te accommodas, quod est habilitatis, &, ut ita dicam, decentiæ cuiusdam tuæ proprium, vt rem ipsam atrocitatis alioqui plenam, sine horrore atque molestia possimus inspectare. Sed quoniam tua quoque, ut omnium, mortalis est uita atque condi-

tio, meritò, vt dixi, nobis & omnibus danda est opera, vt quàm plurimos pulcherrimorum istorum, sed difficillimorum laborum tuorum socios atque adiutores habere, illorumq́; quàmdiutissimè industria frui valeamus. Bene vale.

Dat. Patauio ex ædibus nostris. M. D. LIIX. *Non. Ianuar.*

MELCHIOR

MELCHIOR GVILANDINVS BORVSSVS R. STANISLAO ROSARIO POLONO S. P. D.



Plinii et Dioscoridis error demonstratus. Cedrum magnam, Laricem esse probatur. Ghópher apud Moysen quid. Item Agaricum non nisi in Laricum truncis gigni. Inibi duo Plinii loci emaculati.

b

INAS huc vsque ex quo Patauio discesfisti à te accepi literas, quas non tam rerum argumentis quàm verborum, sententiarumq; ferruminationibus disparatas animaduerti. Iucundissimæ quidem mihi fuerunt illæ, idq; ipsum sanè multis de causis. Primùm quòd tuæ, hoc est viri omnium sententia optimi atque doctissimi: deinde q elegantissimis circuitionibus anfractibusq; contextæ essent: postremò quòd mirificam quandam tuæ erga me voluntatis significationem habebant. Proinde gratias tibi ago immortales, qui me hominem tenuissimæ, sed quid dico tenuissimæ, imò nullius pla-

ne fortunæ, neque multæ admodum literaturæ, sed ferè ἀναλφάβητον, iam inde ex quo primùm sum tibi cognitus ita diligas ipse, & gratiosissimus, & doctissimus Medicus, vt etiam contentiones, honoris, dignitatisq; meæ causa aliquando susceperis. Sed tempero mihi in ista officiorũ, quæ alioqui plurima abs te profecta in me scio commemoratione, quò minus φαινοπροσωπεῖν, vt verbo vtar quo frequenter Tullius, videar, tum quia sycophãtarum halopantarũq;, vt obiter Plaut ũ emolliã, hęc sunt propria, tum quia ad Bacchũ ista nihil. Ἐῶλος γὰρ ἡ ψυχρολογία, ne modò quis Lucianum Luciis arrodendum obiiciat. Quare satius est ad Rhombum conuerti, vt interim Athenæi sales in memoriã reuocem, & ea quæ tu postulas decernere, quod sanè periculosius mihi est quàm laboriosius. Sũt enim talia in quibus diu hæsitauerim: Vtcunque, tibi nec possum negare, nec debeo: alioquin si tua causa periculum adiero, minus dolebit. Dicam igitur quod sentio. Laricem Dioscorides κέδρον vocat: in cuius notis proponendis fœdè hallucinatum esse, ii denique non fatebuntur, qui non magnopere in omnigena auctorum lectione, rerumq; ipsarum diligenti inspectione exercitati, qui non in Musarum penetralia hactenus introierunt, quiq; non introrsus] simplicium pharmacorum studium inspexerunt, sed vix à primo limine salutarunt, atque ægrè extremis etiamnum labris degustarunt. Verum operæpretium facturum me existimo, si Cedri historiam vniuersam à principio & ordine pertractauero, quò neutiquam possit dubitare in posterum quisquam ad quem præsentes literæ peruenient, si modò ad alium quàm ad te solum peruenient, rem haud quaquam aliter quàm à me proponitur se habere, nullamq; Dioscoridi hac parte iniuriam fieri, quando nõ

obstrigilandi, quod dicitur, causa, sed rem literariam iuuandi, & veritatis indagandæ studio ista in mediũ depromo, recantare, culpamq; deprecari paratus, si quis meliora certioráue docuerit. Ante omnia ergo conueniens est docere veterum & optimorum auctorum testimoniis, Cedrum magnam à Cedro simpliciter dicta, quę propriè ὀξύκεδρος vocatur, & Iunipero, quæ ἄρκευθος græcè nũcupatur, differre. Quemadmodum enim ὁμωνυμία disputationem ita perturbat, vt tandem in varias & incertas sententias distrahantur animi, sic in rerũ cognitione nominum varietas limãdæ veritati multùm obest, id quod in Cedro magna perspicere licet, qua cum nulla alia apud Hebraicam gentem celebrior, vnquam arbor fuerit, tamen quæ ea sit hodie ambigitur: hac maximè de causa, quòd Iuniperum & Oxycedrum, quam Cedrum quandoque absolutè appellari dixi, eandem esse cum Cedro magna existimarunt permulti, qui cum quæ Iunipero atque Oxycedro ab antiquis tribuuntur, vix vlli ex arboribus nostris competere viderent, Cedro magna nos hodie carere, perinde ac si omnino è medio sublata esset, vel in rerum natura amplius non existeret, multis persuaserunt, ac proinde quæ fuerit Cedrus illa Hebręorum monumentis decantata, siue Cedrus magna veterum Græcorum Latinorumq;, nos penitus ignorare. Cedrum igitur magnam & Iuniperum eandem esse arborum nõ recentiores solum, sed etiam veteres quidam opinati sunt. Plinius libro XIII. historiæ mundi Capite V. Cedri (inquit) magnæ duo genera: quæ floret, fructum non fert: fructifera, non floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus. Quidam Cedrelaten vocant. Non sanè fructum, vel semen, vt rentur nõ nulli, malò in Plinii lectione exercitati, sed arborẽ ipsam, vt mox

constabit. Quæ omnia Pliniū ad verbum ex Theophrasto transcripsisse, cuius hęc de Iunipero verba sunt libro de historia plantarum III. Capite VI. clare apparet. Ενιοι δὲ τὰς ἀρκεύθους δύο εἶναι φασίν, καὶ τὴν μὲν ἑτέραν, ἀνθεῖν μὲν, ἄκαρπον δὲ εἶναι: τὴν δὲ ἑτέραν, οὐκ ἀνθεῖν μὲν, καρπὸν δὲ φέρειν εὐθὺς προφαινόμενον. συμβαίνει σχεδὸν ὥστε ἐπὶ δύο ἔτη τὸν καρπὸν ἔχειν μόνον τοῦτο τὸ δένδρον. Quid quæso verbis hisce planius esse potest? An non luce meridiana patet clarius Plinium Theophrasti dicta ad vnguem latina fecisse? Nonne quę de Iunipero Theophrastus refert, Plinius Cedro magnę tribuit. Proinde mirum minus videri debet, & Theodorum illum Gazam eruditissimum hominē cuius nunquam sine laudis pręfatione meminisse debeo, κέδρον apud Aristotelem libro de historia animalium VII. Capite III. & Theophrastum libro III. de causis plantarum Capite XXIII. Iuniperum cōuertisse. Neque enim existimandum est doctissimum interpretem ex proprio arbitrio sine grauissimi alicuius scriptoris auctoritate id fecisse, nec apud Pliniū hoc deprehendisse. Sed illud fortasse leuius cuiquam videri posit, Plinium Cedrum magnam cum Iunipero confudisse, quando Dioscoridem in quo tota disceptationis nostrę summa versatur, id fecisse, hactenus comprobatum non est. Audiamus igitur istum herbariorū, si diis placet, corypheum, de Cedro magna differentem. κέδρος δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται. καρπὸν δὲ ἔχει ὥσπερ ἄρκευθος φέρουσα μέγεθος μύρτου περιφερῆ. Egregiè medius fidius O Anazarbee Dioscorides magna est tua apud oēs gentes in describendis plantis auctoritas, nec immeritò quidem, quando & si de iis multa ab antiquis nō inſeliciter essent conscripta, tibi tamen soli à Medi-

corū illo eminentissimo antistite palma tributa, ὑπὲρ ἅπάντων ὅπως οὐδενὶ lib. simplicis medicinę VI. de te scribente. Magnum est à magno laudari viro. Rursus turpe fędumq́ ab nouitio in hac palæstra milite erroris damnari atque cōuinci. Sed tamen dic nobis Dioscorides ex cuius pœnu verba illa, καρπὸν δὲ ἔχει ὥσπερ ἄρκευθος φέρουσα μέγεθος μύρτου περιφερῆ, deprompsisti? Si dicis, laudo. Benignum enim & plenū ingenui pudoris censebat Plinius fateri per quos profeceris. Si dissimulas, & furtum fateri non vis, repetundarum te accuso. Quid enim? An illa ex Theophrasto mutuatum te negabis? Non arbitror, neque puto te eò dementię progressum, atque scuriliter adeo pudori frontem pertudisse, quin mutuum reddere velis. Καρπὸς δὲ (inquit Theophrastus libro de historia plātarum III. Capite XII). ὁ μὲν τῆς κέδρου ξανθὸς, μύρτου μέγεθος ἔχων. ὁ δὲ τῆς ἀρκεύθου τὰ μὲν ἄλλ' ὅμοιος. Quid autem illa, κέδρος δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία συνάγεται, etiamne alicunde? Ex eodem nempe quisquis ille fuerit, ex quo & sua Plinius, cuius hęc sunt verba libro XXIV. naturalis historię Capite V. Cedrus magna, quam Cedrelatēn vocāt, dat picem quę Cedria vocatur. Bellè mehercule. Verum enimuero si Cedrum magnam, quā Cedrelaten Plinius appellauit, discrepare toto cœlo à Cedro de qua Theophrastus loquutus est, quum fructus eius Myrti baccis comparauit, demonstrauero, an tuis te telis Anazarbee prostratum agnosces, herbamq́ victori dabis? Sed expectare te iandudum auide video, quid tandem meę parient musę, neque magnopere adeo ad inanem istum verborum crepitum exhorrescere, quum & Iouem aliquando iratum, dum Anaxagoram sophistam fulmine collidere vellet, repentè de spe sua deiectū fuis-

ſe,remq́ʒ ſecus atque putarat, & planè præter opinionem ei ceſſiſſe, fabuloſis literarum monumentis traditum legamus, & proinde haudquaquam ampullis hiſce atque ſeſquipedalibus verbis perterreri. Eſt in Græcia celebre prouerbium in omnes, qui craſſioris Mineruę,& obtuſioris ingenii,planeq́ʒ ex hara, quod dici ſolet, profecti, depugnare tamen parati, non verentur, ſummos in omni doctrina viros in certamen literariũ prouocare, ὗς τὴν ἀθηνᾶν. Quo dicterio quantumuis & me nunc vexari fortaſſis, conſcindiq́ʒ poſſe animaduertam, ſatius tamen eſſe arbitror, corneo faciei inducto tegumento, & rubore inutili profligato,apertè,ſicut decet,veritatem, quę caligine tenebriſq́ʒ coherceri nequit,depromere, q̃ ſuperbo Dioſcoridis nomini aſſurgere,& parcere vetuſtati. Nec me pręterit virulentum illud Planci dictum: Cum mortuis non niſi laruas luctari. Verum ego errorem hunc non mortuo Dioſcoridi vitio verto, ſed cum viuo aliquo lis iſta mihi dirimenda, qui inuolaſſe in ſe Dioſcoridis animã profiteatur iacteťq́ʒ. Neminem equidem tam dementis otij eſſe arbitror, qui inficias ire velit, Cedrum, ex quo trabes in templo illo Epheſię Dianę ſuperbiſſimo quondam orbis terrarum monumento, vtpote cum tota Aſia extruente quadringentis demum annis peractum ſit, conſtabant,aliam fuiſſe quam Cedrelaten,hoc eſt Cedrũ magnam. Memorabile & Vticę templum Apollinis, vbi Numidicarum Cedrorum trabes Plinii tempore durabant,ita vt poſitę fuère prima vrbis eius origine,annis mille centum octuagintaocto. Iam verò in Aegypto ac Syria reges inopia Abietis, Cedro ad claſſes ferũtur vſi,ſi Plutarcho,Herodoto,Plinio, hiſtoriiſq́ʒ credimus, & proinde Theophraſtus libro de hiſtoria plantarum V. Capite VIII. de nauium

materie differens, in hanc ferè sententiam, Gaza vertente, tradit. Abies, Pinus, Cedrus, aptissimæ nauibus constāt. Triremes enim atque longa nauigia ex Abiete leuitatis gratia faciunt. Rotunda verò ex Pino, quoniam non putrescat. Nonnulli etiam triremes ex eadem condunt, quòd Abiete carent. Qui Syriam Phœnicemq́ incolunt, Cedro vtuntur, quia Pino etiam egent. Sed quo tuam de Cedro venerande Iudaicæ gentis per mare rubrum & vastas solitudines doctor auctoritatem piaculo taceam? qu ôue eam maximè excellētem insigni prædicem? Tu siquidem in libro diuini Pentateuchi primo Capite sexto refers Deum opt. max. q̄ mandasse Nöæ ante supremum illum cataclysmi diem, quo vniuersum genus humanum, atque cuncta animalia terrena delere voluit, vti arcam eximię magnitudinis ex lignis Ghópher, hoc est Cedri cōstrueret, qua se suosq́ & animalia pauca ab imminenti clade interituq́ erueret. Nec obstat quòd in vulgata æditione ex lignis pineis fabrefactam legimus, quando Philo Iudæus grauissimus auctor in libello cui titulus Biblicæ antiquitates, scribit ex Cedrinis compactam fuisse: quod ipsum comprobant Hebræorum eruditissimi, Thargū Talmudistæ omnes, R. Nathân, R. Iehosúah filius CarchaK, & cęteri, Ghópher Cedrum vno ore oēs exponentes. Templum illud Solomonis regis magnificentissimum, quo vix quicquam in rerum natur amirabilius visum vnquam, non'ne tabulatis, trabibus, & columnis ex Cedro paratis condecoratum fuisse desertè libro Regum primo narratur? An quē quam Iesahiæ prophetæ Capite secundo dicta prætereunt, tremendum illum extremi iudicii diem pro miscuè omnes, tam potentes atque opibus vndique affluentes, quàm infimæ sortis homines, & de vili hu

miliq; plebe natos, eque omnes Quercus Basan, cum ctasq; Cedros Libani quantumuis sublimes, & cacumine suo æthera quatientes, atque humi proiectum & repens gramen apprehensurum? At quis tam inops mentis fateri audebit, Cedrum, hanc ex qua trabes, simulachra deorum, tecta, columnæ, tabulatã, templorum valuæ, nauium mali, & naues etiam ipsę integrę vastęq; molis, ac eius generis alia multa olim dolabãtur, eandem esse arborem cum illa quã Theophrastus fructum Myrti baccis æqualem ferre scriptum reliquit? Cedrus, inquit auctor ille eodem loco cuius supra memini, nodosa est, alosa, & tortuosa, Iunipero non absimilis, verum breuior. Sed per deos immortales, quid egregii magnifici'ue ex arbore Iunipero humiliore, nodosa adhæc, alosa, & materie tortuosa constante strui poterit? Trabes'ne quibus magna ædiũ moles incumbit? An malus quo nihil solidius, nihil firmius in naui esse cõdecet? An deniq; templorũ valuæ, colũnæ, tecta, deorumue simulachra? Profectò nihil horum, vt mea fert opinio. Quare alterius fuisse generis Cedrum istam prænobilem, fatẽdum est. Narrat porrò Plinius ille eruditissimus de quo persuasissimum est indoctos esse quibus ille nõ sapit libro naturalis historiæ XVI. Capite XL. Cedrum maximam in Cypro ad vndeciremem Demetrii succisam centum triginta pedum, crassitudinis verò ad trium hominum complexum. Comprobat id in primis Theophrastus clarissimus auctor, quem à diuinitate loquendi nomen inuenisse M. Tullio, Plinio, Senecæ, Straboni, Diogeni Laërtio, Suidæq; credimus, libro historiæ plantarum V. Capite IX. Cedros in montibus Syriæ cum longitudine, tum crassitudine præstantissimas exire, quippe quæ adeo crassescant, vt sint, quas vlnæ hominum qua-

quatuor nequeant amplecti. Solomonem illum ſapientiſſimum hominem, regemq́ opulentiſſimum loquutum eſſe à Cedro quę eſt in Libano, vſque ad Hyſſopum quę ex pariete egreditur, hoc eſt egiſſe de ſtirpibus omnibus ſumpto exordio à planta omnium maxima, quę Cedrus eſt, & ſenſim ad minimas vſque deſcendiſſe, ſacris Hebręorum literis primo Regum quarto ſancitum legimus. Verum & ſi plurima in veteri inſtrumento de Cedri magnitudine laudibusq́ teſtimonia paſſim legentibus obuia ſint, nullum tamen ſpecioſius luculentiusue extatin vniuerſis Bibliis illo Ezechielis trigeſimoprimo, quod quamuis prolixius ſit, nequaquam tamen pigebit hoc loco, vt iacet ī veteri verſione adſcribere, quando mirè Cedri pręſtantiam, vaſtitatemq́ coarguit. Cedrus Libani ramis pulchra eſt, frondibus, opaca, ſtatura alta, & inter cōdenſitatem ramorum cacumen eius. Aquę nutriuerunt eam, abyſſus ſublimem reddidit illam: quin & flumina abyſſi locum in quo naſcuntur Cedri circumeunt, atque ſcaturigines ſuas abyſſus ad vniuerſa campi ligna extendit. Hanc itaque ob cauſam in altum Cedri trūcus ſupra cunctas arboras elatus eſt, multiplicatiq́ rami eius propter aquas copioſas quas abyſſus ipſa ſuppeditauit. In ramis eius nidificauerunt omnes aues cœli, & ſub frondibus eius pepererunt cunctæ beſtiæ agri atque ſub vmbra illius omnes magnæ gentes ſederunt. Pulchra ergo facta eſt Cedrus, magnificaq́ extēſione ramorum ſuorum, quoniam radix eius fuit iuxta aquas copioſas. Non obſcurauerunt eam Cedri quę ſunt in horto dei, nec Abietes aſſimilarę ſunt ramis eius, ſed nec Caſtaneæ fuerunt ſicut frondes illius. Pręterea nullum lignum in horto dei ſimile illi pulchritudine fuit. Decoram nimis ramorum multi-

tudine feci eam, æmulataq́ꝫ sunt illam omnia ligna Eden, quæ in Paradiso dei nascuntur. Ex his igitur omnibus planum fieri arbitror, Cedrum illam tot tantisq́ꝫ auctorum præconiis illustrem, quæq́ꝫ ad fabrilem quondam vsum tantopere à regibus expetito fuit, nulla in parte cum Cedro humili, nodosa, tortuosaq́ꝫ, fructum Myrti baccis similem gignente, atque prorsus ad fabrilia opera inepta congruere conuenireq́ꝫ. Cæterum Cedrum hanc Laricem esse, vel inde perspicuum fit, quòd in hodiernum vsque diem Larix & Abies copiosissimæ in Libano monte nascantur, & vtramque reliquas arbores omnes altitudine excellere non solùm quotidiana experientia cõstat, verum etiam Plinus eodem libro quem proximè indicaui Capite XXXIX. luculentissimus eius rei testis est. Larici (inquit) & magis Abieti succisis, humor diu defluit. Hæ omnium arborum altissimæ ac rectissimæ. Verum nauium malis, antennisq́ꝫ propter leuitatem præfertur Abies. Quod maximè me mouet, vt Cedrum Laricem credam, illud est, quia Dioscorides Agaricũ ἐπὶ τῶν κέδρων nasci perhibet. At Agaricum in nullius alterius arboris trunco prę terquam vnius Laricis gigni, notius eruditis reor quàm vt pluribus demonstrare sit necesse. Proinde corrigendum Plinii locum eodem libro cuius iam aliquoties mentionem feci Capite VIII. moneo, vbi sic legitur. Galliarum glandiferæ maximè arbores Agaricum ferunt. Scribendum autem, Galliarum coniferæ, aut resiniferæ maximè arbores Agaricum ferunt. Nam glandiferæ nullo modo genuinũ Agaricũ producere possunt, quicquid dicat Brasauolus. Accedit ad gratiam, quando Plinius toto opere semel κέδρον Laricem conuertit, vt suboleuisse eruditissimum hominem firmiter mihi persuadeam, Ce-

drum quam Cedrelaten vocat, rectè Latinis Laricę nuncupari, nec transuersum quidem digitum arbores hasce à se discedere. Locus est libro historię mūdi XIII. Capite XVI. vbi ita proditum legimus. θεῖον arbor, nota etiam Homero fuit, Trogete vocatur, ab aliis thya. Hanc igitur inter odores vri tradit in deliciis Circes, quam deam volebat intelligi, magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, cum præsertim eodem versu Cedrum Laricemue vnà tradat. Ita namque legendum censeo non vt omnes impressi codices habent, Cedrum Laricēq;. Neque enim Homerus plures quam binas arbores, nimirum θείου καὶ κέδρου, in Odyssea E. versu LX. nominat. τηλόσε δ' ὀδμὴ κέδρου τ' εὐκεάτοιο θείου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει δαιομένων

Quare vt finē deniq; disputationi huic imponā, Dioscoridis & Plinii causam facilè iam quiuis impulsam, prostratam, constrictam sciat etiamsi nihil adiiciam. Quin ipsi credo si reuiuiscerent, & de hoc admonerentur, neutiquam pro recto defenderent, si plus vero darent, quàm studio potius, vt in plerisque scriptis adsolent. Quoniam moniti semel, pœniterent, concedi sibi postularent, vt calculum reducerent. Verum hęc mea inuenta, quæ vt tibi satisfacerē, excogitaui, in bonam partem à te, lectoribusq; cęteris, si qui illi erunt, accipi velim, atque eo animi candore quo scripsi à doctioribus perpēdi. Non. n. is sum qui obtrectatione alienę laudis eruditior videri velim, quum nulla in parte cum his quos redargui, vel ingenio, vel eruditione penitus sim conferendus. Habes quid sentiam de Cedro magna. Si autem hæc tibi, tuisq; deliciis Andreæ illi verè Patricio absolutissimo Apollinis & Musarum operi arrisisse intellexero, dabo ope

ram vt in posterum grauiora, vel si ita lubebit iucun diora etiam ad vos perscribam. Tu Patricio salutem ex me copiosam dices, atque insuper gratias ages immortales salutis mihi suis verbis à te adscripte nomine. Denique rogo te etiam atque etiam vt non solùm epistolam quam literis tuis adiunxi ipsi mittas, verum etiam diligenter & accuratè quæ sua sit de KiKaio opinio perquiras, & me quamprimum latæ sententiæ admoneas. Gratius feceris nihil. Vale, et me qđ facis ama. Pataufi, Anno à virginis partu septimo supra millesimum quingētesimum quinquagesimum, die qua pascha nostrum immolatus est Christus.



MELCHIOR GVILANDINVS

BORVSSVS R.

ANDREAE PATRICIO

POLONO S. P. D.

Indicatur LXXII.interpretum, Aquilæ, D. Augustini, Hieronymi, & R. Abrahæ [redacted] *, atque KiKaion Ricinum esse præter omnium sacræ Hebræorum paginæ interpretum opinionem recens inuento dogmate comprobatur.*

Etsi cōplures in hac rerū natura effectus luce meridiana clariores cōspiciamus, quorum causæ arcanū planè reconditumq; sensum obtinent, tres tamen inter omnes præcipuos esse animum aduerto, qui ob insignem sui obscuritatem eruditissimis quibusque viris iam inde ab origine mūdi magnum & immensum prorsus negotium pepererunt, lite in tantum propagata, vt iudicem idoneum qui controuersiæ tandē extremam manum imponat nasciturum vnquam, sperandum vix sit. Inter hos effectus principem locum obtinet attrahens illa vis mirabilis quę est in Herculeo lapide, Adamante, Electro & Echeneide pisciculo. Secundas sibi vendicat decantatus ille maris immensi fluxus refluxusq; perpetuus. Postremò controuersantur ingenia anxiè, quæ causa sit, cur Nilus fluuius in toto terrarum orbe celeberrimus solstitio æstiuo, præter aliorum fluminum morem, extra ripas diffluat, totamq; Aegyptum diluuii instar inundet. Quibus problematibus addidē re centiores ignotum illud antiquis miraculum nauiga

toriæ pyxidis, æquè atque priora mirandum, cuius extremum perpendiculum temperati Magnete ferri in incredibili distantia ad eas semper partes sese cõuerrit, quæ ad polos spectant. Verum quantam, hæc semper eminentissimis Philosophis difficultatem ingesserunt, tantam Medicis omnibus, Herbariisq;, & iis qui literis addicti sunt elegantioribus tres ad summam herbæ contentionem pepererunt, sententiis nõ minus hic, quam illic variantibus. Quæ opinionum diuersitas vbicunque incidat, magnas solet rebus circumfundere tenebras. Itaque tantæ dissensionis herbarum, belliq; adeo atrocis inter herbarios, medicos, reliquosq; homines literatos primus omnium meminit Homerus eminentissimus ille totius Græciæ vates, quẽ eò prouectum auctoritatis nouimus, vt etiã literarum parens & doctrinarum fons, atque omniũ liberalium disciplinarum tropæophoros, antesignanusq; à celeberrimis pronuncietur auctoribus. Eę vero sunt, Nepenthes: Moly: & Lotus. Quibus vti quaternarium numerum, qui cum solidissimus est, tum fundamentum ac radix omnium aliorum numerorum, constituam, adiiciendum censeo famigeratissimum illud Ionæ Prophetæ Kikaion, quod quale sit, æquè obscurum atque nominatorum quodlibet arbitror, neque posse citra controuersiam indicare quenquam exploratum mihi est. Proinde ego quoque quanquam mihi in eius rei comprehensione (absit arrogantia dicto) non nihil tribuo, tamen ad diffinitionem timidè accedo: nec quam ipse seriò persuasus sum, tam animosè polliceri audeo demonstraturum me tibi ad oculum, qualem Propheta ille Niniuitanus KiKai nomine plantam significauerit: quanquam sanè tantum abest vt ignotam Europæ stirpem putem, vt eius quoque insignem in Polonia

vim haberi credam. Sed video te iandudum arrectis auribus, ſicienter, auideq; auſcultare, quo denique oratione ſim euaſurus. Ne igitur longius extra chorum ſaltem, atque vt illud tandē in quo non parum mihi ipſi applaudo tua gratia exequar (etenim rudius me aliquando ea de re differentem, auidisſimè pro ſingulari humanitate tua audire videbaris) age excutiam ex quatuor illis auctorum disſidio & contentione nobilibus plantis poſtremo loco commemoratum celebre illud KiKaion, omnibus vtique mortalibus Ionæ Proph. noīe venerandum. Auguſtinus & Hieronymus viri celeberrimi, & vt doctis etiam videtur eruditisſimi, Ionam Prophetam verterunt in latinum. Sed vbi in quarto capite legimus, condidiſſe Deum opt. Max. q; Cucurbitam, quemadmodum LXXII. interpretati ſunt, quos Auguſtinus ſecutus eſt: vel Hederam, vti Hieronymus reddidit, Aquilam imitatus, quę planta Ionam in latisſima planicie extra Niniuitarum vrbem conſtitutum, & dei mandata perficientem à feruentisſimis imminentis ſyderis radiis tueretur defenderetq;, in eo manifeſtius vtique (ni fallor) inſigniusq; extitit vtriuſq; interpretis, tum Aquilæ quoque & LXXII. erratum, quàm vt excuſari iam disſimulariúe posſit. Nam cum illic exemplaria hebraica habeant KiKaion, nequaquam vel Hederam, vel Cucurbitam vertere oportebat, vt vt acriter inter ſe atque pertinaciter digladiari videantur Auguſtinus & Hieronymus, multis ſuper ea re epiſtolis conſcriptis. Sed præſtat Hieronymum ipſum loquentem audire, illo quidem in loco vbi KiKaion ipſum & ſuas circunſtātias depigit. Ex eius enim verbis planum, ni erro, fiet cuiuis, cuiuſmodi planta ſit KiKaion, quò nulli in poſterum dubitare æquum ſit, nos verum ipſum in tam memorabili grauisſimo-

rum auctorum dissidio, ex ipsorum illorum verbis si non prorsus eruisse, at eruere certè conatos fuisse, & meritò de interpretibus omnibus pœnas sumpsisse: quod totum tui esse iudicii facilè patiar. KiKaion igitur, inquit Hieronymus, LXX. interpretes Cucurbitam, Aquila cum reliquis Hederam, id est κισσὸν trāstulerunt. In hebræo volumine Kikaion scriptum habetur, quam vulgò Syri ElKeroa vocant. Est autem KiKaion genus virgulti lata habens folia in modum pampini, cumque plātatum fuerit, citò consurgit in arbusculam, absque vllis calamorum & hastilium adminiculis, quibus & Cucurbitę & Hederę indigent, suo trunco se sustinens. Hoc ego verbum de verbo edisserens, si KiKaion transferre voluissem, nullus intelligeret: si cucurbitam, id dicerem quod in hebræo non habetur: hederam posui, vt cæteris interpretibus consentirem. Hactenus Hieronymus, vt iacet: quæ verba in libro Epistolarum Augustini, Epistola XI. qua Augustino respondet, immeritò se ab illo reprehendi, quod KiKaion vocem hebræā in latinam linguam verterit, leguntur. Cæterum Augustinus eodem libro quem iam nominaui Epistola XIX. ad Hieronymi literas rescribens, sic habet. Vnde illud apud Ionam virgultum, si in hebræo nec hedera est, nec cucurbita, sed nescio quid aliud quod trunco suo innixum nullis sustentandum adminiculis erigatur, mallem iam in omnibus latinis Cucurbitam legi. Non enim frustra hoc puto LXX. posuisse, nisi quia et huic simile sciebāt. Hęc ille. Ex quibus iam facilè te colligere arbitror, fateri vtrunque, KiKaion, neque Cucurbitam, neque Hederam esse posse, interim tamen Hederā & Cucurbitam alterum aduersus alterum pugnaciter interpretari voluisse, ne nihil non quod vsquam in sacra pagina extat mone

ta per

ta percuteretur latina. Equidem probare me exquisitam vtriusque scriptoris eruditionem conſiteor, in eius vero etiam plātæ appellatione anxietatem tantam nequaquam improbo: somnum tantùm & oscitantiam quandam demiror, quomodo illis, in re de qua tantopere inter se decertarunt, obrepere potuerit: quando Kikaion Ricinum esse, tum Hieronymi verba comprobant, tum Syriaca dictio ElKeroa, quę KiKaion significat, id in primis coarguit. Etenim arbusti magnitudine consurgere, propriis caulibus initi, nullis adminiculis ęgere, folia ferre Vitis seu Cucurbitæ, repentè in altitudinē excrescere, & ElKeroa à Syris appellari, nulli plantæ præterquam Ricino conuenit. Hæc siquidem caulibus attollitur rectis, ferulaceis, arundinū modo cōcauis, mira celeritate magnum incrementum capessentibus, paruæ ficus magnitudine, foliis Platani quæ vitis sunt, & ab omnibus Arabibus, Syris item, ac Mauritanis Kerua seu Keroa, vel cū articulo El aut Al, ElKeroa seu AlKerua nūcupatur. Auctores habeo Ebēbithar, Auicēnā, Serapionē, Rasin, Isahac, cæteros. Adstipulatī nostræ sententiæ ex Hebręis interpretibus R. Samuel, citante Pagnino in linguæ sanctæ Thesauro, KiKaiō Arabicè AlKeroam vocari perhibens. Proinde non temerè opinionem R. Abrahæ reiicio, qui in Commentariis suis affirmare ausus est, cuiusmodi planta sit KiKaion, sciri nulla ratione posse. Verum enimuero KiKaion, quam Keruam & AlKeroam Arabes nomināt, Gręci κρότωνα appellāt, διὰ τὴν πρὸς τὸ ζῶον ἐμφέρειαν τοῦ σπέρματος vt Dioscorides inqt, hoc est à Ricini aīalis similitudine, qua ferè forma semē spectatur. Aegyptiis κίκι dicit auctore Herodoto in Euterpe. Idem historiæ parens, at fabulator insignis, si vel M. Tullio Latinorum eloquentissimo libro de legibus primo credimus, σιλλικύπριον nuncupat, Dio-

ſcorides σέσελι κύπριον, vt alterutrum locum mendoſum eſſe neceſſe ſit, quod tamẽ tibi, eruditioribusq; cæteris æſtimandũ relinquo, ne quid ambitioni dediſſe vita iudicetur. Illud libens notauero à Plinio & Latinis omnibus Ricinum vocari conſueſſe eodẽ argumento quo à Græcis κρότωνα dici oſtendi. Officinarum ſeplaſiarii, & Medicorum plebecula in nullis non, vt ferè aſſolent, barbarizantes, Cataputiam maiorem appellant. Vulgus Italicum Miraſole, ab effectu, quòd folia cum ſole circumagit, quo argumento haud omnino ineptè ἡλιοτρόπιον, verbum verbo reddentes, appellabimus, quãdo ἡλιοτρόπια Græci vocãt plantas ſeſe cum ſole circumagentes, qualis eſt Malua, Cichorium, Lotus, Scorpiuron. Hæc ferè ſunt eruditiſsime Patrici, quę ego de Hebræorum KiKaio contra omnium vt uides interpretum ſententiam magna conſtantia & aſſeueratione tueor atque defendo, quibus ſi tuum calculum acceſsiſſe cognouero, floccipendam iam nunc imagines vmbrasq; laruarum, quibus natura eſſe dicitur (vt ſancti viri verbis vtar) terrere paruulos, & in angulis garrire tenebroſis. Gabriel profectò ille Falloppius Patauinæ Academiæ columen, cuius cum iuditium illud circumſpectiſsimum, & naturalem quandam mentis altitudinem, maximè quique in actu medendi, vel ęgri experiuntur, vel ſani, tum eundem in literis & humanitatis & ſapientiæ ſtudiis, ii denique non admirantur, qui non penitus vt ipſi, qui non introrſus inſpexerunt, in nullis non ſententiam de KiKaio noſtram obuio ore exoſculatur, atque ambabus ulnis amplexatur. Tu ſi imminentẽ nauiculę meæ tẽpeſtatem à longè proſpicis, fac maturè reſcribas, quò me commodè ex imminenti naufragio ſubducere queam. Vale Patauio, Anno à Virginis partu ſe-

ptimo supra millesimum quingentesimum quinquagesimum, die qua pascha nostrum immolatus est Christus.



MELCHIOR GVILANDINVS BORVSSVS R.

CAROLO LANGIO FLANDRO S. P. D.

Diluuntur argumenta tria, quibus vulgarem Italorum Brancam vrsinam antiquis. Acāthū dici euertebatur. Interim vocum, θύρσος, θυρσοπλῆγες, θυρσοφόροι, θυρσοφορίαι, & θυρσοφορεῖν, *ratio expensa: Item* θύρσος, νάρθηξ, *& ferula vnius stirpis nomina. Baccho quinque tantum sacra. Thyrso cur globus imponi solitus. Inibi multiplex* κεφαλίου ἢ κεφαλῆς *significatio ex Dioscoride adnotata. Item locus eiusdem auctoris à mendo contra Matthæoli opinionem defensus.* κεφαλὴ *Theophrasto quid. Virgilii versus secretiore sensu expositus. Topiarium opus quid. Inibi Plinii verba declarata: Achāthi nomine multas plantas nuncupari. Stirpium aliquot hodie ignotarum nomina. Velleio Paterculo lux illata. Matthæoli sententia damnata. Aspalathum nomē in Græcia seruare. Virgilius ab errore assertus. Item Hellanici Atheniēse lapsus.*

q VONIAM vel φιλαυτία quadam, quæ nullius vnquam mentem origine à mundi exordio repetita tam parcè obsedit, tam benignè labefactauit, quin in suis quisque decretis æstimandis quadam animi propensione corruptus magnificè crepet atque cristas tumido fastu non sine insigni ostentatione erigat & expandat, quando vt

Ariſtoteles libro Rhetoriorum ſecundo ſcripſit, φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὐτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶν πᾶσιν, οἷον ἔργα καὶ λόγους, fauendi inuentis meis inductus: vel pulchritudine rei ipſius ad hoc allectus inflammatusq́ videri poſſum, quum κινδυνεύειν, vt Plato in Lyſide inquit, κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φίλον εἶναι, decorum haud ſit, vt quæſtionem de famigeratiſsimo illo veterum monumentis celebrato Acantho, & neotericorum Branca vrſina, ad te non rogatus admonitus'ue, repentè præter ſpē & opinionem tuam perſcriberem: hac præfatione, qua literarum mearum exiſtimationem aduerſus illius culpæ iniuriam defenderem ac tuerer, vtendum eſſe iudicaui. Quod equidem eò libentius faciendum putaui, quòd ad alium neminem iuſtius diſceptationis huius ſumma pertinere videbatur, quàm ad te ipſum, qui eam ſolicitudinem animo meo in familiari ſuperioribus proximis diebus colloquio inieciſti, ac mox velut infixo iaculo diſceſsiſti. Simul etiam vt iacta haud ita dudum amicitiæ noſtræ fundamenta fulcirem atque ſtabiliora redderem, ne leui aura quaſſata, quòd recenter poſita ſcirem, nec firma adhuc compage ferruminata, fatiſcerent collaberenturq́. Etenim præclara illa tua optimarum diſciplinarum & vtriuſque linguæ cognitio, incredibile illud ingenii tui ac iuditii acumen, mira vitę integritas, & morum ſuauitas tam iucunda, tam lenis, vt nihil vnquam, etiamſi neſtorios tecum annos agerem inuenturum me putem vel aſperi, vel acerbi, vel quod vlla me prorſus ex parte offendere & à te amando colendoq́ auertere queat, quodq́ non minori laude quàm admiratione dignum exiſtimo, te hominem iuris & iuſtitię conſultiſsimum, plantarum eſſe ſcientiſsimum, quod vtį rarum eſt, ita propè inauditum, inſolubilē

amoris in te mei nexum, non porraceis foliis nodatum, sed Gordiano nodo reuinctum, flagitant atque exposcunt. Sed quid tam longo te circuitu traho? Quid interest enumerare aculeum Guilandino impactum? Quid iurisconsultum rei herbarię peritissimum? Sic natura nempe comparatum est, vt eum quem laudes, ames etiam: porrò quem ames, laudari ab illo velis. Atque ego me dilectorem tuum profiteor, nulla tibi priuatim, sed tantum virtutum tuarum gratia obstrictus. Nihil quippe à te impetraui, quia nec postulaui. Verum nunc tandem Mothone â remo sublato, εἰς χέρσον ἔρχεσθαι tempus est. Veterem opinionem esse & fermè omnium eruditorum concordem & vnanimem sententiam animaduerto, plantam quam vulgus Italorum Brancam vrsinam vocat, haud quaquam ab antiquorum Acantho discrepare: à quorum equidem decretis nec te ipsum longius recessurum ais, si quid per θυρσοειδῆ κεφαλὴν apud Dioscoridem intelligendum esset, docerent. Thyrsus enim, vti antiquissima quę Romę passim extant marmora luce meridiana clarius conuincunt, diuersa planè figura quàm est Brancę vrsinę caulis spectatur, siquidē ille summo suo cacumine globosum quiddam pilæ instar gestat, floribus huius in spicatā seriem conformatis nec vllum in globum collectis. Cæterum Dioscoridem θυρσοειδῆς pro σφαιροειδῆς posuisse, euidentis argumenti loco accipi debere putas appositam mox τῆς κεφαλῆς dictionem, qua rotundum & circulare corpus significari, neminem ire infitias arbitraris. Accedit ad gratiam quòd Mantuanus vates Latinorum poetarum coryphæus Acanthum flexum cecinit, vimenq́ ei reddidit, cum Branca vrsina omni prorsus uimine careat, nec ita flexa flexilisue quò topiarium opus commodè consti-

tuere queat, hodie deprehendatur, Acantho alioqui nomine isto à Plinio libro naturalis historiæ XXII. eiusdem numeri capite concelebrato. Versus Maronis extat libro Georg. IIII.

Tortusq; per herbam
Cresceret in ventrem cucumis, nec sera comãtem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen Acanthi.

Ad extremum idem poeta libro Georg. secundo, Acanthum inter bacciferas plantas æterna fronde virentes reposuisse legitur, quum Brancę vrsinæ folia singulis annis emori & renasci constet, atque caulem ipsum nulla baccarum productione exornari compertum exploratumq; habeamus. Hæc ferè sunt, quæ & te, & me, diu multumq; solicitos, anxios atque suspensos tenuerunt, quò minus constanti oratione cordatorum more uirorum decernere auderemus, quod superiorum & horum item temporum eruditissimi quique magno consensu calculis suis in eundem cadum coniectis ratum ac indubitatum haberi voluerunt, Brancam vrsinam Italorum, rectè & citra controuersiam Acanthi veterum nomine condecorandam. Enimuero non recuso, quin sub censuram, sub aleamq; veniat qualecunque hoc erit, quibus argumenta ista confodiam, dum ne sint in hoc albo duæ mihi maximè suspectę literarię pestes, inscitia, inuidiaq;, dum ne quis mihi ἀμουσότερος, vt verbo vtar quo Symachus, dum ne quis opicus, dum ne quis durus, & contumax, & in hominis verba, quàm in veri fidem iuratus, contingat iudex. Scrupum equidem quem tu περὶ θυρσοειδοῦς κεφαλῆς ipsius Acanthi magno ingenii tui acumine iniecisti, ex recta Thyrsi finitione ad hunc modum excutiendum eliminandumq; reor. Etenim θύρσοι, definitore Eustathio commentariis in Dionysii Alexandrini de situ orbis

libellum, duobus locis in deſcriptione terræ Alano-rum, qui Europæ populi ſunt, & rurſus in Arabum ſitus mentione, κλάδοι εἰσὶν, οὓς ἐν ταῖς τοῦ διονύσου τελεταῖς φέρουσι. Confirmant id in primis claßici ſcriptores duo, Suidas itemq́ Heſychius, θύρσον εἶναι ῥάβδον, ἢ κλάδον, ἢ βακχικὴν βακτηρίαν tradẽtes: quã quam & pro tibicinis nomine θύρσον comperio, cuius vxor meretritii quæſtus ergò ſcriptoribus ferè eſt infamis. θύρσου κυνῆ, Ariſtophanes ἐν Νήσοις, οὐ τοῦ αὐλητοῦ μνημονεύων, ἀλλ᾽ ἀντὶ τοῦ φύλλα εἰπεῖν ἢ κλάδους. Hinc θυρσοπλῆγες καὶ θυρσοφόροι Tragicis ſcriptoribus dicuntur, οἱ ἐν τοῖς βακχείοις ἐνθεαζόμενοι. Et θυρσοφορεῖν θιάσους pro ἑορτάζειν ἢ ἄγειν θιάσους extulit Euripides ἐν βάκχαις: cæteri ferè θυρσοφορεῖν pro βακχεύειν, μαίνεσθαι, ἱππομανεῖν, καὶ ἐνθουσιάζειν vſurpant.

πόθι Νύσσης ἀρχ θη-
ροτρόφου θυρσοφορεῖς
θιάσους, ὦ διονυσσ᾽, ἢ
κορυφαῖς κωρυκίαις;

Quin & celebritas ipſa à Plutarcho in Sympoſiacis θυρσοφορία, à Thyrſorum geſtatione nominatur, quę res & prouerbio locum fecit, vt multi thyrſigeri dicerentur, Bacchi verò pauci: quod adagiũ à Platone ex poëta quopiã ĩ Dialogo, cui titulus Phœdõ, vſurpatũ, & à Suida quoq; repetitũ, adnotaui. Sed pręſtat ipſorum auctorum verba ſubſcribere. Plutarchus Decad. IIII. Probl. V. de Hebręorum ritibus ſacrisq́ verba faciens. ἔστι δὲ καὶ κραδηφορία τις ἑορτὴ, καὶ θυρσοφορία παρ᾽ αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσιᾶσι. Plato, πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δὲ τε βάκχοι. Et rurſus Plutarchus in libello quem ſcripſit aduerſus Colotam, εἷς τῶν ἑταίρων Ἀριστόδημος ὁ αἰγιεὺς, οἶσθα γὰρ τὸν ἄνδρα, τῶν ἐκ τῆς ἀκαδημίας, οὐ ναρθηκ

ναρθηκοφόρον, ἀλλὰ ἐμμανέστατον ὀρχηστὴν πλάτωνος. Itaque cum θύρσος aliud nil sit, quàm caduceus, seu pedum, baculusúe, & propriè caulis τῆς νάρθηκος, quam ferulam Latini vocant, satis liquere opinor, θύρσον spærici nihil summo cacumine gerere, quod alioqui antiqua marmora in thyrsi figura oculis subiiciūt, sed potius in acumen, retusum etiamnum desinere; quando ferula suo vertice globosa non est, quin contra caulis ipsius parte suprema angustus, ima amplus spectatur. At demirari te iandudum istam meam in dicendo asseuerationem video, quòd dubiam, & (vt mihi persuadeo) ante hac indictam sententiam, nullis fulcris stabilitam, nec veteris alicuius scriptoris patrocinio cōmunitam, sed nudam planè & apertissimis periculis expositam, in latissimam planiciem vbi eruditorum rixis ac tumultu perstrepunt omnia deducere veritus non sim. Proinde subtexam protinus telum vnum, quo me plenissimè demonstraturum probè in literaria palæstra institutis confido, id quod à me magna audacia, & clara assertione constitutum est, non modò veritati consentaneum esse, sed nec aliter quidem se habere posse. Comprobatum antiquorum auctorum testimoniis, quorum nomina & verba supra expressi, à me abundè est, non solùm Dionysium θυρσοφόρον ἢ ναρθηκοφόρον appellari, verùm etiam illos omnes, qui in sacris ritè Lyæo peragendis erant occupati. Cæterum Latinos homines Bacchum, thyrsigerum vocare consuesse, notius esse puto, quàm vt pluribus hoc loco astruere conueniat. Subiiciam nihilominus curiosi lectoris gratia exemplum ex Senecæ Medea vnum actus primi calce.

Candida thyrsigeri proles generosi Lyæi.

Quibus in hunc modum constitutis, nihil iam hæreo vel ἄσπονδον ἐχθρὸν pedibus in meam sententiam

vtroque etiam num presso pollice iturum, tantum nimirum reperiri inter θύρσον, νάρθηκα, & ferulam discriminis, quanto sunt interuallo sphærarum orbes à semetipsis remoti, quando vel inde quoq; id ipsum clarè elucescere queat, nihil omnium â cunctis rerum conditoribus, qui vnquam in humanis fuêre Methymnęo, seu Lysio Lydioúe, præter obliuionem, caprum, ferulam, vitem, ac hederam consecratum, & proinde hinc non dubitatim effici, quin imò extra teli iactum esse, atque omni penitus periculo vacare, θύρσον & νάρθηκα, hoc est ferulam vnius stirpis nomina alternare. Incredibile quàm mihi turpiter fecisse visus est Romanę ille curię Nabathes, trium literarum homo, & cum politioris literaturę, tum bonarum disciplinarum rudis & imperitus, ac iam diu ex eruditorum albo expunctus atque proscriptus, qui tam apertę veritati & certissimæ sententię contradicens, non modò non erubuit, sed potius quasi pręclaro quodam commento, & à se recenter, si diis placet, inuento iaculo gloriatus est, ac more galli ignobilis, vt Plato inquit, à disceptandi certamine dissiliens cecinit, gestiuit, seque ipsum circumspexit. Verè me hercle quispiā & omni iure τῷ ἀπαιδεύτῳ καὶ σκαιῷ. grauissimum dictum grauissimi scriptoris Thucydidis in primo suarum historiarum libro obiecerit, τὴν ἀμαθίαν μὲν θράσος, λογισμὸν δὲ ὄκνον φέρειν. Nihil equidem mirum Phrynichum apud facetissimum Comicum ἐν σφηξὶ, perspecto discrimine, πτήσσειν ὥς τινα ἀλέκτορα. Id enim sapientis est. Ἀλλὰ ἢ ἔμπουσα, φρούδη. Nę tu lepidum caput es qui videris hoc ipso momento imminens ceruici meę periculum, & ἐφέδρους καθεδεῖσθαι, vt Cleidemidis verbis vtar, prouidere, qui si sententia hęc κρατῇ, ἕξειν κατὰ χώραν: sin minus, περὶ τῆς τέχνης διαγωνιεῖσθαι πρὸς γυῖλανδῖνον,

Sophoclis apud inferos more, Aeaco ἐν Ἀριστοφάνους βατράχοις loquente. Quare operæpretium erit, si me ex tot circumsistentibus aquarum procellis, ac tantis ventorum turbinibus in tranquillum & securum portum proripere velim, Macrobii verba ex libro Saturnal. primo subscribere, quò nemo posthac dubitare possit, θύρσον non modò non in globum exire, nec in retusum etiam apicem deficere, sed planè in exacutum cacumen desinere terminareq́. Colitur, inquit, apud Lacedæmonios simulachrum Liberi patris hasta insigne, non thyrso. Sed cum thyrsum tenet, quid aliud quàm latens telum geritur, cuius mucro hedera lambente protegitur? At per Deos immortales potuit'ne verbis hisce planius dici aliquid? An clarius? Non'ne auctor thyrsi cacumen exacutum ait? Est namque thyrsus hasta aculeata hederis obtecta, quam in Orgiis Bacchicis quatiebant, quod prætermissa Hesychii, Eustathii, Suidæ, & Macrobii auctoritate, Anacreontis quoque antiquissimi poetæ, & vt Platoni etiam placere video sapientissimi, itemque Diodori testimonio libro fabulosæ historiæ IV. Capite V. defendi atque conuinci posse, vt non dubito, sic propemodum certus sum. Narrat enim Siculus ille, non veritate historiæ nobilis, sed quòd nullo festiuiore titulo opus suum, qui Græcorum ser.mos erat, inscripserit Plinii elogio commendatus, Dionysium in exercitu habuisse mulieres thyrsis armatas, quos conglobatos suo fuisse vertice, vti quàm longissimè à vero abest, sic si in acumen vitalibus lethale defecisse statuas, à falso remotissimum est. Cæterum thyrsum hedera obuolui solitum cecinit Anacreon in VI. Oda εἰς ῥόδον iis versibus.

ὑπὸ βαρβίτῳ δὲ κούρα
κατὰ κισσοῖσι βρέμοντας
πλοκάμοις φέρουσα θύρσους
χλιδᾶ ὀσφύος χορεύει.

Quin & Plinius quoque libro XVI. Capite XXXIV. refert Alexandrum Magnum ob raritatem coronato exercitu hedera, victorem ex India rediisse, exemplo liberi patris, cuius Dei & nunc adornet thyrsos, galeasque etiam & scuta, in Thraciæ populis in solennibus sacris. Sed & in mysticis refractariæ Hebræorum gentis papyris libro Maccabæorum II. Capite VI. scriptum legimus, Iudæos cum esset Bacchanaliorum festum, coactos fuisse scipionibus hedera ornatis pompam agere Dionysio. At locus tempusque postulare videntur, vt tandem huic de thyrso disputationi finem eum imponam, cuius gratia tot antiquorum auctorum decretis in vnum locum collectis tam vasta maria longis mæandris adnatando sulcaui, ne βαττολογίας parùm decori criminis reus agar. Ad summam quicquid in virgulæ modum, vel teli rectitudinem consurgit, thyrsi nomen sibi vendicabit. Rectè ergo & doctè Dioscorides, quod sanè mirum videri debet in barbaro & empirico homine, nec elegantioris literaturæ magnopere perito, Acanthi, quæ Italorum Branca vrsina est, deprauata, vti ferè coniecto, Herbacanthi nomenclatura, qua appellatione Seruii tempore inclaruit, caulem, θυρσοειδῆ κεφαλὴν proferre scripsit, κεφαλὴν, pro omni plantæ summitate, qui mos suus est, accipiens. Verum tantum abest, vt celeberrimos illos venerandæ vetustatis statuarios, thyrso sine causa globum imposuisse putem, vt contra etiam magno ipsos hac parte iuditio vsos autumem credamque. Quis nunc est sensus eruditissime Langi verborum tuorum? Quæ cogita-

tiones tuæ ? Non'ne me disputationem de thyrso posticasanna, adunco suspendere naso arbitraris? An non mihi thyrsum Androgynum esse, Hyęnam, Chamæleonem, Polypum, Tarandum, Lycaonem, Protheum imaginaris? σκιμαλίζειν, vt λακωνικῶς complectar multa, ἁπλῶς καὶ μεταφορικῶς, vt vt velis, non moror, mandare laqueum, mediumqúe ostendere vnguem, vt Iuuenalis ait, nescio, nec, si scirem, liberet: mihi sat est commemorata Macrobii verba non obscurè arguere, thyrsum ea propter hedera tegi consuesse, ne telum seu cuspis eius cuiuis conspicuus esset. Quod qui statuariorum æmulari atque figura exprimere in animum olim inducebant neque tamen thyrsum hedera obducere cogitabant, sed nudum potius & ab omni hederaceo nexu liberum ac solutum effingere volebant, idem penitus per sphæricam cacumini suo impositam molem significare contendebant. Ehem, iam ne primi illius teli minas, violentiam, fastumq; repressa agnoscis? An non oculos excubitoris illius vigilantissimi ex sublimi despicientis specula graui veterno sopitos ac constrictos animaduertis? Nonne equitis illius pernicissimi impetum magna omnium admiratione & laude in catadromo superbè huc illuc, sursum deorsum, dextrorsum sinistrorsum, antrorsum retrorsum, & quoquo versum decurrentis, cohibitum, repressum, atque prostratum intueris? Nonne Nabathem illum multo madidum sanguine & frequenti lethalium vulnerum numero humi deiectum animam miserabiliter agere cernis? Sed rectè tu admones, Theta haud quaquam præfigendum, nec trium phum ante confectum bellum instituendum, & minus multò calculo mordendum, priusquam nodus scirpo intertextus ad vnguem excussus dissipatusq;

fuerit, quando vt Creon apud Sophoclem tragici cothurni principem ἐν ἀντιγόνῃ narrat.

σμικρῷ χαλινῷ δ' οἶδα τοὺς θυμουμένους
ἵππους καταρτυθέντας.

Igitur parebo pręceptis tuis, & κεφαλὴν apud Dioscoridem pro omni plantæ cacumine accipi, curren do, locis tantùm indicatis, demonstrabo, mox reliqua propositi exsequuturus. Ante omnia conueniens est docere κεφαλὴν καὶ κεφάλιον apud eum scriptorem, pro eodem, in eademq́ promiscuè significatione inueniri, ne ἐπιχειρηματικός aliquis voculis ludens, litem suam in hisce faciat. μήκων, inquit ille libro de Stirpibus quarto, ἔχει κεφαλὴν περιμήκη. Et paulò inferius de eodem papauere differens: ταύτης τὰ κεφάλια ε. ἢ ς'. μετ' οἴνου κυάθων τριῶν ἑψήσαντας ὡς εἰς β'. ἀγαγεῖν, πότιζε οὓς ἂν βούλει ὑπνῶσαι. Ex his dilucere opinor, κεφαλὴν καὶ κεφάλιον non solum non distingui, atque indifferenter nullo discrimine alterum pro altero nomen vsurpari, verum etiam omne id quod in plantis sursum in globum extuberat, aut in orbem glomeratur, siue is rotundus fuerit, siue oblongus, rectè caput seu κεφάλιον nuncupari. Rursus κεφάλιον pro κόρυμβος, ἢ σκιάδιον, seu vmbella dixit, quando vmbelliferas pla ntas, Seseli Aethiopicum, Anethum, Daucum, & sexcentas alias κεφάλιον ἢ κεφαλὴν protrudere tradidit: qui item loci si in vnum conferantur, mirùm dictu quàm faueant sententiæ nostræ adstipulenturq́, κεφαλὴν nempe & κεφάλιον, ne hilum quidem inter se discrepare. Proinde nulla Matthæoli medela ægere videntur verba illa apud Dioscoridem quibus de Oreoselino pertractat, ἔχει δὲ περὶ καυλὸν κλωνάρια καὶ κεφάλια κωνεία παρεμφερῆ, pro dictione κεφάλια, obscurè ex Theophrasto φύλλα sub

ſtituentis: illa fortaſſe coniectura ductus, quòd Cicutam, quàm Græci κώνειον, παρὰ τὸ κωνᾶν, διὰ τὸν γινόμενον εἴλιγμὸν, καὶ σκότον τοῖς πίνουσι, cognominant, nullis κεφαλίοις, hoc eſt vaſculis rotundis, in quibus incluſa laterent ſemina, exornari obſeruaſſet, neſciẽs non Græcis modò κεφάλιον, ſed Latinis etiam Caput quandoque pro vmbella vſurpari, quod vel Plinii teſtimonio, vt interim Senecam & Apuleium dimittam, apertiſſimum fit. Dauci, inquit ille libro hiſtoriæ mundi XXV. Capite IX. vbique naſcuntur terrenis collibus limitibusq́, nec niſi in pingui ſolo, foliis Coriandri, caule cubitali, capitibus rotundis, radice lignoſa. Viſum eſt per occaſionẽ iſtam Dioſcoridiani codicis maculam, per Matthęolum introductam, indicare, quò admonitione hac noſtra admoniti ſtudioſi calamiſtro locum inurant, neque tamen emaculent ſuos quiſq; codices, vbi macula nulla ſubeſt. Porro κεφάλιον Dioſcoridem pro ipſo flore poſuiſſe, quando Anthemidem & Ptarmicam ἐπ᾽ ἄκρω τῶν κλωνίων κεφάλια περιφερῆ ferre ſcriptum reliquit, clariſſimum eſt. Sic eum Scholimi quoque fructus, ſeu quod idem eſt Cardui capitula, itemq́ Dipſaci & Spinæ albæ echinos, κεφαλὰς appellaſſe, manifeſtius elucet, quàm vt tædioſa ſuorum verborum commemoratione docere conueniat. Denique Polium, Thymum, Eryngium, & Syderitis altera (quæ Italorum Pimpinella eſt) κεφάλια σφαιροειδῆ καὶ κορυμβοειδῆ obtinere eidem auctori traduntur. Cęterum iſta que hactenus περὶ κεφαλῆς ἢ κεφαλίου retuli, eo tantum propoſito à me adnotata fuerunt, quò clarum & tibi, & curioſis ingeniis omnibus redderem, κεφαλὴν καὶ κεφάλιον apud Dioſcoridem omnem plantę ſummitatem ſignificare. Conſilium enim mihi non eſt alienæ taxatione famę inclareſcere, vel ira

& studio aliorum errores circumscribere, quorũ causas procul habeo. Nihil simulatio proficit: paucis imponit leuiter extrinsecus inducta facies. Veritas in omnem sui partem eadem est. Quæ decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet si diligenter inspexeris. Neque ipsum etiam Matthæolum, si harum literarum exemplum vnquam ad se perferretur id ægrè laturum confido, quin magis illud candori nostro, & cupiditate qua flagro veritatem ex altissimis tenebris eruendi, tributurum, atq; in optimam partem interpretaturum. Nulla etenim philtra lego, nulla amatoria propino, nullum medicatum poculũ misceo, nec vllum hippomanes, quod triuenefici apud Lælium, quęro.

Philtra vndique eruunt,
Antipathes illud quæritur,
Throchiscili vngues, teniæ
Radiculæ, herbę, surculi,
Aureæ ilices bichordilę,
Hinnientium dulcedines.

Non ego sum ille Carinondas, vel Damigeron, vel Hismoses, vel Apollonius, vel ipse Dardanus, vel quicunque alius post Zoroastrem & Hostanem inter magos celebratus est: nec sum tam dementis otii, vt ad gratiam loquẽdo inescare homines velim. Id corrollarii vice adiectũ volo, κεφαλὴν apud Theophrastum perpetuò pro cõglomerato pilę instar corpore accipi, siue id in sublimi caule, siue iuxta radicem, siue alibi natum sit, nec vsquam pro flore, vel spica, aut vmbella, echinoúe oblongo positũ, quemadmodum apud Dioscoridem, inueniri. Rursus κεφαλὴν apud Diosco ridem nulla alia in parte pręterquam in summo caulium cacumine spectari, quæ res quoque in causa fuit vt Anazarbeus ille echinatos

Cardui,

Cardui, Spinæ albæ, & Dipſaci fructus, κεφαλὰς appellaret; Chamæleonis vero albi echinum Carduo ſimilem, & proinde rectè κεφαλὴν dicendum, κεφαλὴν eſſe negaret (eſt namque albus Chamæleon caule viduus) ſed ſimpliciter abſolute τὴν ἄκανθαν cognominaret, Theophraſto nihilominus libro hiſtoriæ plantarum IX. Capite XIII. partem eam expreſſè κεφαλὴν nuncupante. Enimuero illud præter alia mira miror maximè, iſta neminem ante me olfeciſſe. Sed redeundum tandem à diuerticulo in id vnde oratione ſum digreſſus. Extat elegantiſſima apud Eupolidem ſententia ab A. Gellio libro Noctium Atticarum primo literis mandata, in omnes, qui ſunt leues, & futiles, & importuni locutores, quiq; nullo rerum pondere innixi, verbis humidis, & lapſantibus defluunt, λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν: Et rurſus alia apud Epicharmum, οὐ λέγειν δεινός, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος. Ne igitur iſti me crimini obnoxium faciam, neue tu ex illorum eſſe me numero arbitreris, quos inſigniter veteres Latini locutuleios, & blatterones, atque linguaces dixerunt, protinus alterius argumenti culeum euacuabo. Narrat Vitruuius clariſſimus ſcriptor libro Architecturæ quarto, virginem ciuis Corinthiam iam maturam nuptijs implicitam morbo deceſſiſſe. Poſt ſepulturam eius quibus ea viua poculis delectabatur, nutricem collecta & compoſita in calatho pertuliſſe ad monumentum, & in ſummo collocaſſe, & vti ea diutius ſub diuo permanerent, tegula texiſſe. Eum calathum fortuitò ſupra Acanthi radicem fuiſſe collocatum: Interim pondere preſſam radicem Acanthi media folia, cauliculos circa vernum tempus profudiſſe. Cæterum cauliculos hoſce ſecundum calathi latera creſcentes, & ab angulis tegulæ ponderis neceſſitate expreſſos, fle

F

xuras in extremas partes volutarum facere esse coactos. Tunc Callimachum, qui propter elegantiam & subtilitatem artis marmoreæ ab Atheniensibus κατατηχνος fuerat nominatus, prætereuntem hoc monumentum, animaduertisse eum calathum, & circa foliorum nascentem teneritatem, delectatumq́ genere & formæ nouitate ad id exemplar columnas apud Corinthios fecisse, symmetriasq́ constituisse, ex eoq́ in operum perfectionibus Corinthii generis rationes distribuisse. Huc respexisse illum Latinę poëseos antistitem quando flexi vimen Acanthi cecinit arbitror, nec dubito quin doctissimus quisque sentẽtiam hanc de Virgiliano versu nostram promptissimè sit exosculaturus, non quòd Acanthus, quæ Branca vrsina procul dubio est, vimine exornetur vllo, aut flexilis tortilisúe, & sequax lentaq́ in omnem partem magnopere deprehendatur, sed quòd ob impositum radici suæ calathum plurium proculorum pondere aggrauatum, inflexus, hoc est depressus detortusq́ sit, & magna violentia iniuriaq́; prohibitus ne recto impetu in subline ferretur ac erumperet, mox prodeuntia caulis & foliorum germina, teneritate sua nouella, calathum viminis in modum cinxisse atque coronasse. Eodem quoque allusisse mihi videtur poëta ille Doricus in primo Idyllio hoc versu:

πάντα δ᾽ ἀμφὶ δέπας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος.

Quod imitatus Maro, ita lusit in Ecloga tertia:

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus Acantho.

Casus enim qui in tota ratione mortalium, solus vtramque paginam facit, id dedit, vt poculis, & columnarum capitulis Acanthus insculperetur, nõ singularis aliqua plantæ ipsius vel in aspectu pulchritudo, vel in flectendo teneritas. Perfricuisse faciem ti-

bi videor,nec tamen profeciſſe,quando alia via occurris ingens,& longius etiam ſubmoues me Plinii auctoritate,Acanthum topiariam herbam dictitantis. Equidem lepidiſſime Langi, ſi Plinii dicta acriter examinentur, ſedulò penſiculentur, ad limam & lineam certam redigantur, cum torno & cothurno iterum comparentur,tantum abeſt vt Acanthum topiariam ſtirpem eſſe confirment, ſi topiarium opus id ſolum ex Grammaticorum ſententia conſtituamus, quod ex arboribus, aut fruticibus, aut herbis flexilibus, & ſuo lentore ſequacibus in varias animalium, aliarumq́; rerum figuras conformatur, vt ne in mentem quidem iſtud Plinio vnquam veniſſe vel à longè commonſtrent. Sed ſatius eſt auctorem ipſum ſuo de Acantho ore loquentem audire. Acanthus eſt topiaria & vrbana herba, elato longoq́; folio,crepidines marginum, adſurgentiumq́; puluinorum toros veſtiens. Quibus verbis Plinius Acanthum topiariam herbam, vt Grammatiſtæ topiarium dici adnotant, non fecit, ſed topiarium eſſe Acanthum prodidit, quatenus vel ſatus,vel ſponte natus,nec vllam in figuram detortus,crepidines marginum, & adſurgentium puluinorum toros veſtit, παρὰ τῶν τόπων, hoc eſt à locis,quæ in his varia conſtituuntur, nec tamen perpetuò topiario Grammaticorum habitu,quadrupedes,alites,& quaslibet animantes ementiuntur. Heus tu; Iam'ne ſpiculum digniori loco locatum, quod in meum caput magnis viribus emiſeras excuſſeraſq́;, in tua ilia conuerſum agnoſcis? Non'ne iactabundum illum militem, qui paulò ante ampullas & ſeſquipedalia verba proiiciebat,crudeles minas ſpirabat,rixas iuxta atq; pugnas anhelabat,ignitoſq́; gladios fodiebat, in media arena procubuiſſe,ac Apollinis & Aeſculapii opem ſup

pliciter implorare cernis? An non tandem cataphrâctarium illum tuum grauis armaturæ equitem, lorica, thorace, galea, lancea, æneisq; tormentis quorum boatibus terram cœlumq; turbabat, denudatum atque exutum fateberis? Verum quando te virum fortem magnumq; & inuictum esse mihi persuadeo, qui neque ignitis globis huc illuc circumuolantibus magnopere terrearis, neq; fluctus aquarum, terræq; motus mirum in modum exhorrescas, sed vbiq;, Aiacis clypei instar, celso & præsenti animo, atque, vt Comicus ait, θυμῷ ἐπ᾽ἀλβοείῳ, imminentibus periculis, velut alter Hercules, succurras, pręstò sis, ac opem feras, atq; magnā adhuc victoriæ spem & præsidium in vnica illa sagitta huc vsque in pharetra relicta collocatam habeas, adnitar sanè vt illam quoq; quantis possum viribus protinus confringam atq; contundam. Non ambigo doctissime Langi minimè defuturos, qui meum hoc institutum Timoniano dente incessent, vel etiam Vatiniano prosequantur odio, & eos pręcipuè qui sunt istiusmodi amœnitatum rudes, ᾗ ἀκριβολογίας, hoc est exquisitę disceptationis exortes, limo cœnoq; dum lutescunt, vbi ad hunc modum in intima herbariorum sacraria, & eruditorum in primis diuerto, quorum symbolum esse proprium noui, τὸ θεῖον. Antequam ergo thylacum seu pharetram cui soli hoc momento inniti videris ex toto subuertam, operæpretium erit multiplicem nominis Acanthi secundum diuersos scriptores significationem indicasse, quando ista vocum ὁμωνυμίᾳ non rarò clarissimis rebus densissimas tenebras circumfundit. Acanthus, auctore Theophrasto libro de historia plantarum IIII. arbor est in Aegypto tota aculeis horrens excepto caudice. Eius duo genera, candidus, nigerq;: ille imbecillis, facileq; putrescens: hic

robustus atq; incorruptus. Fructus in siliqua modô leguminum. Flos aspectu pulcher, coronis aptus. Arborem istam omnis medicinæ princeps Hippocrates, modò ἄκανθαν simpliciter cum Theophrasto, vel potius hic eum illo vocat, modò ἄκανθαν αἰγυπτιακὴν libro muliebrium morborum primo. Quod imitatus Plinius ille Latinorum, si vnum Varronem excipias, eruditissimus, & hunc sequutus Gaza, nunc spinam absolutè, nunc spinam Aegyptiacam interpretantur. Dioscorides ferè ἀκακίαν nuncupat: quanquam est vbi ἄκανθαν quoq; vocet, plantam quidem vnà cum suo succo Medicis hodie nomine notam, re incompertam. Mirum Aegyptum nouis rebus gignendis claram, medicamentum istud frequentibus Venetorum liburnicis mediterraneum mare sulcantibus, hactenus orbi nostro impertiri noluisse. Deplorandum profectò naturam tam iniquè nobiscum egisse, vt omnia sublapsam vetustatem annis soluere vellet. Quę non gens armis lacessita? Quę non orbis plaga ferro flammisq́; turbata? Aegyptus destructa: Iudęa deleta: Italia fortissimarum gentium dominio nobilis, dilacerata: Gręcia tota subuersa. Quo gentium Bdellium exulatum iuisti? Quo Calame odorate concessisti? In quas te latebras Ebene recepisti? Quę sedes tua, quis locus Amomum? Quę mundi plaga Cardamomum capit? Quod cœlum Xylomacer tegit? In Indos'ne, an vltimam Thulen Tripolium profugit? Immanine Scyllę & Carybdis vortice Carpesium absorptum est? Quid dicam? Quo me vertam? Balsamum famigeratissimam stirpem nusquam gentium toto terrarum in orbe videri? Malabathrum ex India raptum, in Paradisum delatum? Nepenthes Aegyptum cum Atlantici oceani profunditate commutasse? Quod malum istud? Quid?

Folium pentaſphęrum : Tympanum : Oroſtyllum : Pęderos, non erucæ folio, ſed querno : Mnia : Triches : Coriaceſia : Chryſoxylon, non thapſia, ſed thapſus : Solſtitialis herba : Pulcium : Liſſomodum : Balluca : Velinum : Tura : Antura : Pardalianches : Lunaris fructus : Xyromira : Exorica : Ama : Balis, non Dioſcoridis, ſed Xanthi : Paſtillus herba : σελήνη, non in circulo, ſed in cẽtro : Dractylum : Callicia : Menais : Scolium, non obliquum carmen, ſed planta σκοτεινός : Oenutta : Orontion : Pelargitis : Onopordum : Lindum : Premadia : Liparon : Timallus, flos nõ piſcis : Vehion : Cindum : Miſthum : Barum : Caricaria, non quam Caricam Gaza vertit, ſed alia : Eniŗon : Paliræa : Cecuda : Laccar, nõ Lacca : Comacum : Chryſocome : Echinopus, non erinacei pes, ſed planta aculeata : θύον, non ſacrificium, ſed herba odorifera . θεῖον, non ſulphur, nec numen, ſed arbor pretioſa ; quanquam & θύον pro eadem arbore apud Theophraſtum, Dioſcoridem, & Ioannem Theologum in Apocalypſi ſcriptum comperio : Nitrum herba : Corſium, fructus non radix : Piper longum : Agrium : Camipedes : Aproxis : Merois : Lygęa : Folium barbaricum : Coſtamomum : Chondrus legumen : Philadelphus flos : Aeſchinomenes : Crocis : Onoſis : Theſeum flos : Duaca : Macrotum : Aſyphum : Apragmoſyna : Serichatũ : Gabalium : Bumaſtus, flos non vua : Coſmoſandalos non hyacinthus : Atalymnos : Camitria : Letigla : Cripa pãpinacea : Agarum : Aphita : Alcyonium, nõ in mari, ſed in terra : Tripſidium : Agriomelitzanus : Carpaſum, non carpaſium linum, ſed herba : Cyclamis odorata : Hypopion, non thapſia nec ſugillatio, ſed herba alia : Philiſtion, non aparina, contra quam cenſet Galenus : Bulbion : Occus : Molothurus : Meli-

zoros: Grias: Eriphion: Basilisca: Bocchus, non rex, sed flos regis memor: Selenotropion: Magla: Motum: Sagalinum lignum: Opigais: Benteli: Margarita: Vingum: Arachidna: Raccinus: Cnebisus: Lygismus: Stolype: Cyrsus, non Cirsion: Camus, non genus vinculi vllum, sed herba vinciẽs: Othlis: Oesaca: Laganote: Charien: Lola, non lolium: Calua: Enechus: Zaduar: Zarnabum: Solanum manicum: Picnocomum: Opuntia, non carduus cui Tunæ nomẽ, sed herbula esui apta: Tirza: Cada: Rosina: Thyodes, non quoduis odoratum, sed aromatis genus determinatum: Sonchara: Chrysogonum: Amethystus, non gemma, sed herba: Cucutia: Mogarum: Eucnemum: Larimnum: Rumi nalis arbor.: Chalcãthus herba: Calacanthus: Chalcimus: Androsace: Petrocorpos: Baharas: Hipporizos, non hippuris: τριπλευγμιατικὸν: Aegypirus: Cicama, & aliæ plantæ mille, quas vetustas posteritati memoriæ prodidit, in alienum orbem hactenus nondum repertum concessere, serò, vti ferè arbitror, ad nos remeaturæ. Heu magnam clarissimarum stirpium iacturam. Terras nostras deseruistis, qua vel re, vel spe compulsę? Vtrum humaniorem gentem quęsiturę? At vbi locorum populus Europæo placida morum suauitate illustrior? An religionem nostram ceu improbam falsamque pertœsę? Atqui Deum vnum eundemque trinum in Filio per Spiritum sanctum inuocamus. Video & agnosco causam, ac manifestè perspicio omnia fatis in peius ruere, & retro sublapsa referri, quando vt scribit Manilius Astronomicôn quarto,

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.

Nulla propemodum hodie herba est, quæ suam antiquitatem citra controuersiam agnoscat, subnascenti

bus vicissim nouis vocabulis, deiectisq; veteribus, illisq; porro rursum restitutis: adeo nihil stabile, nihil diuturnum. Redibitis aliquando antiquas vi furæ sedes, modò Deus aliquis ignorantię nebulam medicinam exercentibus abstergat. Altius vniuscuiusque Medici animo infixum esse debebat graue illud dictum, quod apud Galenum Medicorum post Hippocratem coryphęum extare nouimus, ab Oribasioq; repetitum legimus, simplicium medicamentorum, & facultatū, quæ in eis insunt, cognitionem ita necessariam esse, vt sine ea nemo ritè medicari queat. Equidem ita sentio, si cuiuslibet eximii præstantissimiq; Medici animum herbarum scientia spoliaueris, & mentem stirpium natiua spetie nudaueris, licet ille cœlo deiectus, Paradiso æditus, Angelorum pane educatus, licet inquam Aesculapius ipse fuerit, licet omni musarum choro stipatus, & toto scholasticorū populo comitatus, & balteo Medico cinctus, Phisica, & Chirurgica callens, atque Anatómica sciens, imperitus plantarum processerit, placere non poterit, nec Apollini quidem suo, vt pote stirpium scientissimo. Tanta denique est herbarū claritas dignitasq;, vt quamuis linguæ vtriusque cognitione, Mathematicarum rerum scientia, Philosophia, omnibusq; disciplinis cæteris exornatus Medicus incedat, nisi tamen animum plantarum notitia perpolitum gerat, ornatus non possit videri. Prodeat nunc censor ac criticus aliquis quamlibet etiam morosus, & lucem stirpibus iis quas enumeraui, si nasum se habere putat, pro virili inferat. Assurget ei Apollo & ter trium virginum mater, refeꝛetq; Pallas ipsa gratias. Tempero mihi ne longius extra septa, vt dici solet, euehar, quod si quis mihi continget lector rei herbariæ mysteriorum studiosus,

diosus, hęc pro ingenio suo vberius agat. Sed enim quia quę in literis comperta mihi, non sustineo in sanctuaria intrudere, non temperabo hac parte, quin Vellei Paterculi præstantissimi historici sententiam simplicium medicamentorum, & politioris literaturę sectatoribus iam proferam, qui in posteriori suarum historiarum volumine refert, C. Iulium Cęsarem quinque egisse triumphos. Gallici ap paratus ex Citro; Pontici ex Acantho; Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitisse. Acanthum istum Ponticum ex antiquis Dioscorides & Plinius nominatim in Cappadocia & Galacia Ponti regionibus nasci tradiderunt: quanquam Plinius libro XXIIII. Capite XII. cum Aegyptio Acantho confudisse videtur, vtriusque semina lenticulæ æqualia faciens, quòd Dioscorides oculatus harum rerum testis semina vnius lupino, alterius lenticulæ similia esse literarum monumentis consecrarit. Non est quam Matthæolus, Dioscoridis commentatorum postremus, Acaciam Ponticam, nescio quam graui nixus auctore, facit. Etenim quemadmodum non dubito arbustum illud, esse alterum Aspalathi genus Dioscoridis, sic profectò totius Gręcię consensus opinionem eam tuebitur atque defendet, quando æquè rustici atque ciues, æquè plebei atque nobili ex stirpe nati, nullo euariante, vno ore omnes, Aspalathum in præsentem vsque diem appellant. Sed de his singuli vt volunt iudicent. Ego verò ad tuæ pharetrę euacuationem venio, & quod scitu dignum existimo, quęso à te, & mihi vsque ad effectum nimio amico, & cum in cæteris, tum in his optimè docto, an possis Virgilium illum tuum, cuius auctoritatem omnibus scriptoribus præfers, ab iniuria erroris asserere,

Acanthum inter bacciferas arbores immortali coma ſplendentes, libro Georg. ſecundo iis verſibus reponentem.

Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaq́;, & baccas ſemper frondentis Acanthi?

Neq; enim minori diſcrimine, Bacca, & Siliqua quà vtriuſque Acanthi fructus, Pontici iuxta atq; Aegyptiaci continetur; ſeparantur, quàm vel Eoum mare & Atlanticus oceanus diſterminantur. Quamobrem quò ſtudioſis elegantioris Philoſophię gratum faciam, ſcrupum ſoluam, atq; id vel maximè oblectandi tuum Guidum Pancirolam eruditiſſimum hominem gratia, qui non modò Iuris Cæſarei ſcientiſſimus eſt, verùm etiã herbarum, plurimorumq́; ſtudiorum peritus, nec minus ſuſpiciendus ob rarum quendam ingenii candorem, quàm ob exactam vtriúſque linguæ & omnis antiquitatis notitiam. Scribit Demetrius antiquiſſimus auctor in libro rebus Aegyptiacis dicato, ἄκανθαν, quæ arbor eſt, ramos coronarum ſpecie natiua effundere, quibus fructus ſit rotundus, flos ſubobſcurus. Cęterum eãdem arborem cõſtare foliis nulla temporum iniuria deciduis, teſtatum reliquit Hellanicus apud Athenęum libro δειπνοσοφιςῶν quintodecimo: quanquam ibi alterutrum, vel Hellanicum, vel ipſum Athenęum falli neceſſe eſt, Acanthi huius duo genera, album nigrumq́ aſsignantes, diſcrimine iſto non Acantho, qui fructum rotundum baccamúe reddit, ſed qui ſiliquis gignendis medicis commendatur, à Theophraſto attributo. De hac planta locutum Virgilium coniicio, quando baccas ſemper frondentis Acanthi inter exoticas raraſq́ ſtirpes, loco indicato, cõnumerauit, tum quia fructus eius rotundus à Demetrio pingitur, vt iſto argumento non ineptè bacca dici poſsit, tum

quòd arbor ipsa natiuo foliorum honore nunquam exuitur vt Hellanicus ait, quod alioqui de Acanthis siliquas ferentibus nullus vnquam hominum adnotauit, tum etiam quia flos siliquati Acanthi candidus esse coronariusq́ traditur, cõtra bacciferi fuscus obscurusq́, nec coronis magnopere expetitus. Ehò, vbi nunc sagittæ tuæ? Vbi Scythici arcus magna neruorum tensione rigidi? Vbi culeus tuus tot spiculis turgidus? Concidisse ne tandem pharetratum Apollinem tuum vides, an adhuc negare pergis? Non'ne subuersum, euacuatum, confractum, atque testiuilitio æquatum thylacum tot exacutis iaculis trucem cernis? Age nunc quàm prona res fuit in lapsum, ita Dioscoridem, Velleium Paterculum, & Virgilium interpretari, vt Brancam vrsinam Italorum nullum esse ex Acanthis priscorum negandum foret? Neq; tamen mihi eius rei victoriam tribuo, imò verò singula verba ac dicta mea, tuis, & alienis calculis dinumeranda relinquo. Sicut enim formosa pictura est cuius nulla pars errat: Sic formosus homo in quo nulla pars peccatis fœda est. Iudicare autem de rebus propriis victoriam sibi ipsi tribuendo, longè turpissimum grauissimumq́; animi vitium est. Ad pœnitendum properat, citò qui iudicat. Adhæc ita fermè natura comparatum est, vt in alienis erratis lyncei simus, in nostris lippi, cæciq;, ac non videamus, vt Catullus ait, Manticæ quod in tergo est. Hoc sanè in primis cauendum est iis qui scribũt aliquid, ne dum nimis ad vota laudum properant, cruda adhuc in publicum sua studia propellant, quod à plerisque nostra ætate factum, non sine insigni eruditorum cachinno, animaduertimus. Neq; eo inficias, facilem esse cuiuis rigidi censurã cachinni, vt inquit Iuuenal. neq; tamen ipsi aliud non agunt, quàm quod ingeminant

tremulos naso crispante cachinnos, vt scriptum relliquit alter Lycophron Persius. Hęc sunt, optime Langi cur tuæ sententię non accedam, Brancam vrsinam Italorum haudquaquam Acanthi nomine à Dioscoride celebrari. Quæ si tibi emunctissimæ auris homini probabuntur, quamlibet breui epistola respondebis: quod si dissenties, longiore, vt rationes meas tuis melioribus refellas. Vides vt tibi tacitè blandior & quasi suadeam, ne laborem subeas me refellendi, id est vt mihi assentiaris. Verum absit hoc ab vtroque nostrum: nam neque meum est falsò alicuius velle opinionem damnare: neque tuum labori cedere, cuius semper victor extitisti. Vale. Patauii XII. Kalen. Ianua. M. D. LVII.

MELCHIOR GVILANDINVS BORVSSVS R. CONRADO GESNERO MEDICO S. P. D.

Probatur Dulcichinum, seu Trasum Italorum, à Paulo Aegineta Mamiras, & ab Hippocrate Holoconitin vocari. Interim Tralliani locus emendatur, vitio Gupyli, & Andernaci corruptus. Inibi Bolbocastanon, à Bizantinis hodie Agriocastanon appellari. Bolbocastani plenaria descriptio. Matthaoli fœda sugillatio. Doronicum, Mamiras non esse. Rursus Doronicum orientale atque Europæum specie inter se conuenire. Item plantas secundum loca mutari, & cur. Calamum & Iuncum, odoratos, nihil differre à nostratibus calamis, iuncisq;. Error Bellunensis indicatus. Croni, seu Hab Al zelin quid. Moly an herba: Inibi Theophrasti germana lectio luxata pristino nitori restituitur. Moly Homericum, Cynospastus, seu Aglaophotis Aeliani, Baharas Iosephi, & Marmaritis Democriti vnius stirpis nomina. Error Tragi crassus. Moly Dioscoridis, Molyza Hippocratis, & Allium caninum Tragi, vna tantum planta. Item Matthaoli sententia explosa. Moly Dioscoridis plenaria descriptio.

PLATO Philosophiæ pater, & diuinioris scientię auctor lōgè clarissimus, itemq; Stoici omnes, μαντείαν, hoc est diuinationem introducunt per instinctum afflatumque diuinum, quem ἐνθουσιασμὸν Græci vocant, qui phanaticus furor est,

feruorque lymphaticus per somniorum imaginatio nes, ac Chaldæorum obseruationes, Magorumque Brachmanum, Gymnosophistarum, Druydum, atque Augurum disciplinam. Cæterum hi plerasque vaticinii partes & commendant, & probant; quamuis Xenophanes, ac Epicurus πλῆθυα omnem è medio tollere conati sunt. Hui dices, quò denique tam longè peritum exordium tedet? Cum literas tuas, vir clarissime, doctrina haud vulgari refertas, & omni humanitate, officiique genere plenas perlegissem, adeò mihi mens argumentis, corpus autem armis te lisque vacua relicta sunt, vt qua denique ratione tot in me acutissima directa spicula viriliter propulsarem, oculis nequaquam circumspicere possem, parumque abfuit quin παλινῳδίαν meditarer, & insuper gratias agerem, planeque tuo iudicio acquiescerem, Mamiras apud Paulum, & Holoconitin apud Hippocratem, non modò diuersorum generum plantas denotare, verùm etiam vtranque vocem prorsum ab Italorum Dulcichinis (quæ Veronenses Trasci, & Trasi vocant, Genuenses Ziziphas terrestres, Hispani Iuncum auellam, Arabes denique Habbaziz, si Leoni Africam describenti, itemque Bellunensi credimus) discrepare. Quod dum ita toto die anxiè sollicitèque mecum ipse cogito, rubore suffusus interim aliquoties, non tam quòd sententiam meam corruisse magnopere dolerem, quàm quia minimè præuidissem, quibus eam fulcris contra aduersariorum insultus communirem, sensim pater ille rerum omnium Sol, ex nostro delapsus horizonte ad inferius hemisphærium ad latentes hactenus tot Antipodum myriadas nostris gentibus cognitas deuoluitur, & mihi placidus membris omnibus sopor vndique circumfunditur. Interea insomnio opprimor manife-

sto liquidoq́, ac volitare circunquaq; incipio, veluti infesto mari ventis pulsata nauis: In terram vniuersam excurro, è terra in cœlũ efferor, vniuersum transmitto mare, aerem peruolito totum, cum Sole terrã ambio, cum Luna circumferor, cæterorum astrorum iũgor choro, & quod mirũ est, integro etiãnum in repẽtina & violenta adeò peregrinatione manẽte corpore: nec planè prius ἐπιπομανεῖν καὶ ἐνθουσιάζειν desino, quàm in floridissimum pratum vastissimæ illius & remotissimæ Hesperidum populorum telluris, quam diuinus Plato in diuino Timæo, Atlantidem dici tradit, & prolixè graphiceq́; in Critia describit: nec sanè alia est vlla, quàm quæ hodie Orbis noui, & Indicarum insularum terræ firmæ, Americeq́; nominibus vniuerso mundo innotuit, descẽdo, vbi, inter cetera, Dulcichinorum molem conspicio magnam, Hippocratemq́; ipsum, mirabile dictu, seuero aspectu grauẽ, manu dextra Basin illam Xanthi tenentem, sinistra vero canos leniter pertractantem, voce denique alta Trasci à se Holoconitin appellari succinentem intonãtemq́. Dum hęc sic menti obuersantur, expergiscor, ad meq́; ipsum redeo, nec satis scio gaudiòne magis, an dolore attonitus. Lætabar equidem non parum, & magnam planè capiebam delectationem, quòd quę de die meditabundè ac magno adhibito studio apprehendere neutiquam potuissem, ea, omni cura solutus, & aliud omnino agens, vera esse cognouissem. Vera dico cum Platonicis & Stoicis, qui diuinationis partem vnã ex somniorum imaginibus apprehendunt admittuntq́; quando & à Peripateticorum placitis alienum non est, animam interdiu mercenariam corpori inhęrere, neque posse veritatem contemplari; noctu autem ab hac seruitute solutam, & in loco qui est

circa thoracē conuolutam, ad vaticinandum promptiorem fieri, & propterea insomnia nasci. Angebar autem insigniter, quòd quibus rationibus veritas in insomnio agnita doceri posset minimè perspiciebam. Certum tamen erat arreptam semel opinionem & insomnio confirmatam, mordicus tenere, nec mutare velle vnquam, ac nequicquam potius ad ea respondere, quæ tu in medium attulisti, quàm culpam deprecari. Videbam enim rem esse arduam, vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ sua omnia. Sed tamen, vir πολυμαθέστατε καὶ πολυγλωττότατε, animum aduerte quæso, & placidas mihi aures præbe, cognoscesque qualis se mihi inter angores hos coniectura nouam stabiliendi sententiam, dum cuncta altius rimor scrutorque, in tuis literis obtulit. Scribis non videre te cur Mamiras Pauli, quod missum βολβοκάστανον Tralliani dici nequeat: nec animaduertere etiam posse, quid impedimento sit, quo minus Doronicum vulgare, Mamiras Aeginetæ vocetur. Denique Holoconitin Hippocratis, Mosy à Dioscoride appellari sentis. Verum cauendum tibi est apprime, Gesnere iucundissime, siquidem vndequaque videris esse eruditissimus, ne dum mea studes conuellere acrius, & veritatem conaris inquirere anxie, in densissimas prolabaris tenebras, idemque tibi eueniat quod Chymistis vsu venire cernimus, qui iandiu frustra vertendis speciebus, & decantato illi aureo velleri summo & temporis, & rerum omnium dispendio incubuerunt, incumbentque posthac in posterum. Nam si Dulcichinum, Mamiras est, vt profecto Pauli verba attestantur, radiculam esse tradentis herbulæ geniculis frequentibus nodosis

cinctam

cinctam, detergentis naturæ, nequaquam βολβοκάστανον dici poterit, quando Trallianus inter Mamiras & βολβοκαστάνου discreuit, vtriusque separatis locis mentionem faciens. Mamiras sanè libro medicinæ II. cap. V. nominat: βολβοκαστάνου autem libro VII. περὶ ἐμπυημάτικῶν meminit. Nec probo Gupylum & Andernacum, viros alioquin celeberrimos, ἀντὶ βολβοκαστάνου, βολανοκαστάνων, substituentes, siquidem non tam vox ipsa βολβοκάστανον, quam equidem vetustatem haud redolere fateor, quemadmodum nec χυνέαν, nec τραξίμον, nec μαρούλιον, & sexcentas alias, quibus tamen frequenter Alexander vtitur, & ab omnibus eruditis tolerantur, quàm auctoris eo loco propositum spectandum est, quando rectam victus rationem purulenta excreantibus præscribens, abstergentibus nutriendos præcipit, qualia sunt, ius gallorum, phasianorum non pinguium, perdicum, attagenarum, turdorum, similiumque auium. Ad hæc si sanguis reiiciatur purus, iusculo ei incoquere mandat βολβοκάστανον, alicam, itrium, similaginem, & eius generis alia, quæ ob succi crassitiem, vasa sanguinē continentia modicè obstruere, & pectus lenire, atque abradere potis sint. At tantum abest Castaneas detergendi farciendique vi pollere, vt nihil detergentibus & farcientibus magis possit esse contrarium. Adde vocem βαλανοκαστάνου æquè esse nouam atque βολβοκαστάνου, & quod per magni refert, nullam planè possunt Castanearum glandes ἐμπυικοῖς vtilitatem commodumue afferre. Proinde veriorem veterem lectionem auguror, & βολβοκάστανον pro herba interpretor, quæ pingui succo constat, & facultatem obtinet humorum crassitiem mediocriter incidendi, adeò vt excreationibus è pectore sit idonea. Quòd vero βολβοκάστανον vix alia esse planta possit,

quàm illa ipsa cuius semina ad te misi, argumenta habeo, tum quia attenuandi natura pollet, & lentitiam in se habet, tum quia radice constat bulbosa, Castaneæ tamen similiori quàm bulbo, quando cortice foris obducitur nigro, intus verò substantia Castaneis simillima expletur, quæ res & nomini occasionem præbuit, vt composita nomēclatione βολβοκάστανον diceretur, quia Bulbum, Castaneamq́ mentiri videtur. Sed hæc leuiora. Quod maxime me mouet, vt βολβοκάστανον credam herbam, cuius semina hoc titulo inscripsi, illud est, quia nomen in Græciam in hodiernum vsque diem retinet, Chiis ἀγριοκαστανίδες, Byzantinis ἀγριοκάστανα, Rhodiis βολβοκάστανα appellantibus. Adstipulatur in omnibus meæ sententiæ, aut ego potius suæ, vir grauissimus, cùm doctrina, tum humanitate clarus, Gabriel Falloppius Mutinensis, in ordine & numero scholę Medicorum Patauinę minimè postremus, Anatomicorum huius æui facilè princeps, atq; in simplicium palæstra athleta inuictus, imò vero in debellandis domandisque Chirurgiæ prodigiis, Italicus Hercules. Quid habes, mi Gesnere, quod damnes? Quis sensus est verborum tuorum? quæ tua mens? oculi? quid ais? Nimis vrgeo, commoueri videris, siquidem errorem tuum agnoscis, Dulcichinum non modò βολβοκάστανον dici non posse, sed nec Mamiras quidem rectè βολβοκάστανον appellari. Verum ne in nouam figmenti suspicionem apud te incurram, quòd vel ex nuda seminis figura argumentari veritus non es, radicem eius bulbosam esse nequaquam tibi probabile videri, ideo radicem vnam ex Chio ad me allatam ad te mitto, quam vt terræ mandes iubeo, cognoscesque liquidò Melchiorem tuum nihil minus scire quàm nugari. Foliis vestitur Crithamo si-

milibus, cauliculo breui, candidos flosculos in vmbellis sustinente, quibus semina angusta, & striata, canaliculataúe, Cumino æqualia succedunt. Non is sum, qui cauillis & imposturis inanem gloriolam aucupari velim. Mentiri nescio, nec, si scirem, velim. Nondum eò dementiæ deueni, vt Matthæoli pellem, qui eo nomine malè apud eruditos, nec immeritò, audit, Borussiaco corio anteponam. Metamorphosis ista hactenus molesta mihi esse nõ cœpit, nec placet cum Euanthe & Agriopa ex homine in lupum verti, rursumque restitui sibi. Satius esset eius generis homines nasci nunquam, aut. profectò in cunis emori præstitisset. Neque enim res vlla maius bonarum literarum studiosis detrimentum apportauit vnquam, quàm ista eruditorum mentiendi audacia impunitasque. Cæterum Doronicum vulgare non posse ab Aegineta Mamiras vocari, vt Fuchsius putat, consimili planè argumento priori comprobatur. Nam cum sit verum Doronicum, vt descriptio attestatur, & doctissimi quique fatentur, Ruellius, Leonicenus, Fracastorius, Manardus, Cardanus, Mundella, Matthæolus, Brassauolus, Amatus, & deniq; tota Medicorum schola clamitat, Mamiras profectò nullo pacto esse poterit, quando Auicenna Mauritanæ factionis princeps lib. II. tract. II. separatis locis Doronicum & Mamiras, quod Memiren nuncupat, prosequatur, & de hoc in M, de illo in D, prolixè pertractet. Illudes tu nodum hunc, duo esse Doronici genera inquiens, Orientale nempe, & Europæum, quod officinarum seplasiarii Romanum vocant: sed te concedere quidem Orientale esse legitimum Barbarorum Doronicum, nostrum autem, vel maximè ire inficias. Equidem non dubito, vir clarissime, quin vtriusque radices iandu-

dum conspexeris probeque perpenderis, nec aliam inter eas differentiam deprehenderis, quàm quæ est inter duo eiusdem alitis oua. Quòd vero Doroni cum Romanum non sic vt Orientale feruéat, & linguam vellicet(quæ Ruellii opinio est)id nostri cœli solique temperiei ferendum esse acceptum, vt quisq; est eruditissimus, ita sententiæ huic promptissimè accedit. Radices enim plantarum dissimilibus saporibus à terræ proprietate perfici, vti etiam in fructibus euenire videmus, credendum omnino est. Si enim radices arborum, aut vitium, aut reliquorum seminum nō ex terræ proprietatibus succum capien do ederent fructus, vno genere essent in omnibus lo cis & regionibus omnium sapores. Sed animaduer timus in insula Creta Monobasites vinum (Maluasium vocat vulgus) in Cirno Corsicum, in Campania Græcum & Lachrymam, circa Messanam in Sicilia Mamertinum, in Thraciæ maritima parte Maroneum, Smyrnæ regione Pramnium, vtrunque Homeri testimonio celebre, in Liguria Amabile, in Germania, quatenus Rheno abluitur, neque omnibus partibus; Rhenanum, in Pānonia Vngaricum, reliquisq; locis plurimis innumerabili multitudine genera vini virtutesque procreari, quæ non aliter possunt fieri, nisi cum terrenus humor suis proprietatibus saporum in radicibus infusus, enutrit materiã, per quam egrediens ad cacumen profundat propriũ loci & generis sui fructus saporem. Chelidonium minus, quod rudis herbariorum plebecula Scrofulariam minorem vocat, cum quarti ordinis absoluti sit in calefaciendo, & desiccando, si Aetio credimus, ideoq; magnam præ se fert acrimoniam, & gustum erodentem, cur, quęso, commanducando sæpe nullam prorsus nobis acrimoniam imprimit, idq; potis

ſimum quod in humido loco natum ſit? Cur item Ci cuta, Socratis maximè ſupplicio nobilis, in Germania, Galliis, in plurimiſq; Italiæ locis ferè innoxia na ſcitur? An ob eam cauſam quam Galenus libro περὶ τροφῶν δυνάμεως ſecundo ſcriptam reliquit? Dicit enim Arum Cyrenis minimum medicamentoſi, minimumq. acrimoniæ poſſidere, adeò vt in cibis, vel Rapis vtilius habeatur: In Italia vero, ac minori Aſia contra adeò acre, vt medicamentis duntaxat ex petatur. Pari ratione fieri poteſt vt Chelidonium mi nus, & Cicuta, in Creta, Attica, Chio, Cilicia, & Græcia eiuſmodi viribus prædita naſcantur, quales eis à veteribus contribuuntur, in Italia vero, Germania, & Gallia nocendi oblita proueniant. Comprobant id in primis inſignia auctorum teſtimonia, Plinius, Columella, Martialis, Galenus, Dioſcorides, & cæteri, Perſeam arborem in Perſide exitioſam eſſe, tranſlatamq; in Aegyptum mutata natura in cibos receptam. Idem Belenio accidere literarum monumentis prodidit Ariſtoteles περὶ φυτῶν primo. Poma mortis in prouincia Peru Occidentalis Indiæ, an Sorba eſſe ignoras? At varietate regionis adeò pernicioſam plantam euadere nouum videri non debet, cum & ſexcentis aliis eiuſmodi mutationes accidere conſtet. Summa ſummarum, quòd ſi terra generibus humorum non eſſet diſsimilis, & diſparata, non tantum in Syria, & Arabia in Harundinibus, & Iuncis eſſent odores, neque Abietes in Arabia Thure manarent, neque Oleæ in Troglodytica regione Myrrhæ glebulas funderent, nec Hedera in India Piperis baccas daret, nec Cyrenis in Fetulis Laſer naſceretur, nec Cinnamomum & Caſſia in Moluccis inſulis ex Lauro decorticaretur, ſed in omnibus terræ regionibus, & locis, eodem genere omnia procrearentur. Has au

tem varietates regionibus & locis, inclinatio mundi,& solis impetus propius, aut longius cursum faciendo tales efficit terræ humores: quas qualitates non solum in his rebus,sed etiam in pecoribus, & armentis discerni notius esse autumo, quàm vt aucto rum testimoniis demõstrare habeam necesse. Illud in transitu adiecerim,nobiscum sentire Theophrastum & Plinium clarissimos rerum conditores,Calamum & Iuncum odoratos,nequicquam à nostris harundinibus & iuncis discrepare,præterquã quòd ferè com pertum sit,vt quę locis frigidis odore carent,ea feruidis odorata sint, vt Calamus & Iuncus in Syria. Abũdè satis,& latius etiamnum quàm res exigebat, demonstrasse me arbitror, Doronicum Europæum eandem prorsus esse cum Orientali plantam, quando & nomen,& radicis effigies, & par vtriusque natura illud coarguunt, nullo alio quàm maioris minorisqꝫ discrimine. Itaque Doronicum vulgare nequaquam Mamiras appellabitur, vt Fuchsio placet,cum Doronicum sit, Auicenna inter Memiren, quod Ma miras est,&Doronicum differentiã adnotante. Quare cum hactenus nihil obstare animaduertam, quo minus Dulcichinum Mamiras dici possit,non recan tabo,nec dimouebor à mea sententia, nisi tu exercitatiores in literaria palæstra athletas in arenam dedu cas denuo,qui id agant, vt tua & fulciant comprobentqꝫ, & mea destruant confringantqꝫ: quod vt facias,vehementer etiam atque etiam rogo. Scio non defuturam tibi argumentorum copiam, quibus exi stimationem tuam tuearis,& defendas, ac meam opi nionem conuellas conscindasqꝫ. Ridendus hoc loco Bellunensis, qui Dulcichinum ab Auicẽna Granum Alzelin vocari asserit,non animaduertens, Alzelin inter fructus,non radices ab auctore cõnumerari, et

Serapionem Cap. CCCXXXVII. Simpl.med. in siliquis nasci tradere. Habzelin (inquit) granum pingue est, magnitudine Ciceris, citrinum ab exteriore parte, album ab interiore, boni saporis, apportatur è terris Barbaris, nominaturq; Piper Aethiopicum (verum Piper Aethiopicum re vera est aliud) in Barbaria dicitur Croni. Forma spectatur phaseoli, siliqua & grano minoribus. Color grani citrinus nigerue. Sapor acutus ad instar Piperis. Vis eius gradu tertio calida, humida primo. Hęc ille. Ex quibus planum fit, ingens esse discrimen inter Dulcichinum & granum zelin. Memini, me Venetiis aliquando Agyrtam in medio foro Balsami laudes, & præclaras eius virtutes (vt id genus hominum facere assolet) decantantem cõspexisse, qui post longam inanium verborum seriem, siliquas quasdam faselo similimas, breuiores, aromaticum saporẽ præferentes, quibus semina nigra, faselo æqualia, sed minora inerant, pro Balsami fructu vẽditabat, quę res & dictis, vt audio, imposuit, verum veterum Carpobalsamum cum iactatione etiamnũ dictitantibus, quum tamen medius fidius aliud nihil sint quàm Croni, seu Hab alzelin. Sed iam tempus est vt Holoconitin Hippocratis, Dulcichinum esse probem, & differre à Molyo non solum Dioscoridis, verum etiam auctorum omnium ostendam. Magna & vetus est eruditorum concertatio, cuiusmodi planta sit, quam antiquissimus ille Gręcię vates, vnicus ingeniorum omnium fons & victor Homerus, Plinii iudicis ingeniorum summi sententia, Mercurium Vlyssi tradidisse in remedium carminum Circes in decima Odyssęę Rhapsodia cecinit,

ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος,
μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν

ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.
Quod interpretans Ouidius Transformationum quartodecimo ait,

Pacifer huic florem dederat Cyllenius album.
Moly vocant superi, nigra radice tenetur.

Et meminit Lycophron in Alexandra obscuro poemate, μῶλυ σαώσει ῥίζα. Vbi Isaacius commentator ait, μῶλυ δὲ ἐστὶ κατὰ τοὺς ἰατροὺς τὸ ἄγριον πήγανον, quod & Suidas. Eustathius, & sectator eius Erasmus duob. locis, Præfatione in Aristotelis volumina Græca, & ĩ prouerbio, Neq; mel, neq; apes, Moly ἀλληγορικῶς interpretantur, radicis nigræ symbolo laboris molestiam significari affirmantes, qua peruenitur ad animi tranquillitatem virtutis absolutæ præmium. Diuersum censuit, quisquis ille fuit, qui hos versiculos condidit, quos in Priap. lusib. extare obseruaui.

Hic legitur radix, de qua flos lacteus exit,
Quem cum Moly vocant, mentula Moly fuit.

Theophrastus & Plinius herbam esse existimant, & nasci eam circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ tradunt, specie illa Homerica, radice rotunda, nigraq;, magnitudine cepę, folio scillæ, effodi autem difficulter. Hoc.n. modo Theophrasti verba legenda sunt, καὶ μὴν ὀρύττειν γε εἶναι χαλεπὴν, non quemadmodum Gaza vertit, & omnes Græci codices habent, οὐ μὴν ὀρύττειν γε εἶναι χαλεπὸν, tum quia Homerus ita tradit, tum etiam quia Plin. difficulter erui ait, Theophrastum proculdubio sequutus, cuius verba refert ad vnguem. Adiicit huic sententiæ calculum Homericus scholiastes, Moly appellatum esse scribens παρὰ τὸ μωλύειν, ὅ ἐστιν ἀφανίζειν τὰ φάρμακα. φασὶ δὲ αὐτὸ ἑλκόμενον τῆς ῥίζης τῷ τέλει θάνατον ἐπιφέρειν τῷ ἀποσπῶντι. Quæ verba claro sunt argumento, non radicem ipsam euelli molestè (vt plerique falso ren-

rentur) sed cum mortis periculo eruentem se subiiciat haud facilè à quouis effodi posse. Quę cum ita se habeant, luce meridiana patet clarius, Homerum per Moly aliud intellexisse nihil, quàm Cynospastum seu Aglaophotin terrestrem Aeliani, quę, vti à te obseruatum egregiè est, Baharas Iosepho in Belli Iud. hist. dicitur, & à Democr. Marmaritis nuncupatur. Tradunt enim auctores illi, Baharan, seu Cynospastum captu admodum difficilem esse, & rizotomi manus fallere, oculosq; refugere, neque prius consistere quàm mulieris menstruorum profluuio laborantis lotio fuerit conspersa: neque tamen hoc etiam modo retentam sine periculo euelli, quippe extrahentem præsentaneam mortem consequi, nisi eiusdem radicis amuleto fuerit communitus, quo carentes, terram circum circa sacrificare, radicemq; laqueo vinctam cani alligare, ac repentè discedere, tandemq; nimio conatu sequuturum canem radicem extrahere, & veluti domini persoluentem vices illico commori, & nullo postmodum periculo radicem illam à quouis tractari posse. Vim eius in expiationibus præstantissimam esse, vt etiam qui à spiritibus vexantur immundis protinus liberare cōpertum sit. Moly hoc in marmoribus Arabię Persico latere, & in Iudęa iuxta Macheruntem oppidum quęrendum. Neq; .n. dici posse quicquam lōgius à vero remotum arbitror, q̄ Moly, quod Homerus celebrat, Narcissum Theophrasto appellari, & Dioscoridi Colchicon, vt Tragus censet, quando Colchici flos lacteus non est, & Theophrastus insuper magnam inter Moly Homericum, & Colchicon Dioscoridis, suumq; Narcissum discrimen statuit. Sed eiusmodi errores, Trago ferè fatales, toto opere passim. Homines sumus, fateor: sed parcius errare possumus, modo velimus. Per incuriam multa


committimus. Vt quimus aiunt. Opera laudanda non opus. Alterius Molyos meminit Dioscorides, & Medici omnes, cui graminis, non Scillæ folia, radix non Cepæ magnitudine, sed parua. Id tu Holoconitin ab Hippocrate vocari credis, illa fortasse coniectura fretus, quòd auctor is libro De muliebribus morbis primo radicem eius velut bulbum esse narrat, nec planè Oliuæ paruę dissimilem: quę notę Molyo à Dioscoride reddi videntur. Equidem plenissimè perspicio cùm hac in parte, tum in aliis plurimis singulare illud ingenii tui, quo polles, acumen, & fateor exosculaturum me fuisse, protinusque ambobus, quod dici solet, pedibus in istam tuam sententiam descensurum, nisi me Galenus medicinæ coryphęus reuocasset, & veriorem amplecti existimationem coegisset. Nam auctor ille in libello quo obsoleta Hippocratis vocabula planiora facit, μώλυζαν Hippocratem vocare ait, quę cæteris Moly dicitur: ὁλοκωνίτιδα verò herbam esse agrestem, & à Dioscoride ὀρεοκωνίτιδα appellari, quasi dicas in monte natam. Quibus verbis perspicuum fit nihil minus posse statui quàm Moly Dioscoridis, & Holoconitin Hippocratis vnius esse stirpis nomina, quando quod Dioscorides Moly nominat, Hippocrates μώλυζαν nuncupat: contrà quod hic ὁλοκωνίτιδα, ille ὀρεοκωνίτιδα. Quæres tu vbi apud Dioscoridem ὀρεοκωνίτις habeatur. Respondeo nusquam. Falso igitur Galenus Dioscoridem allegat. Nego. Nam & Auicenna eodem libro quem supra indicaui cap. 743. in describenda Zedoaria, & Serapio cap. 104. med. simpl. in Dochon, id est, Panico, non Milio, vt malè interpres vertit, & Plini. non is qui naturalem historiam condidit, sed alter, libro de re Medica quarto, capite vltimo in Spomelidibus pomis, Dioscori-

dem citant, cum tamen nusquam, quæ nominati au ctores de iis plantis adferunt, apud Dioscoridem reperiantur. Nisi igitur nomine Dioscoridis alium quàm Pedacium Anazarbeum intelligant, profectò volumina, quę hodie sub hoc nomine circumferuntur, manca esse in plerisque videntur. Sed hæc per coniecturam dicta sint. Ad institutum redeo. Holoconitin Hippocratis, non esse Moly Dioscoridis, iam tandem te agnoscere arbitror, alioquin nec Galenus μώλυζαν apud Hippocratem, Moly interpretatus fuisset, nec Holoconitin à Molyo separasset. Quid multis? Et descriptio, & natura Holoconitidi ab Hippocrate redditæ, attestari videntur, ne quicquam à Dulcichino dissidere. Reliquum est vt pari ratione Moly Dioscoridis excutiam, perpendamq; vera an falsa sint, quæ à Deo illo herbariorum Matthęolo traduntur, Moly ignotam esse Italiæ plantam dicenti. Ridere subinde mecum ipse soleo, Gesnere lepidissime, doctorum quorundam nostri æui hominum audaciam (temeritatem enim non di xerim) qui vt fucum, nescio hercule quàm laudatum, suæ prætexant ignorantiæ, frequenter fateri non erubescunt, multa se pręterire, sed quæ nec aliis quidem peruia sint, ac si docta esset, si diis placet, ignorantia, ea nescire, quæ ab aliis hactenus prodita non sunt. Verum τουτὶ μὲν οὐδὲν πρὸς ἔνην καὶ νέαν cum Aristophaneo Strepsiade, aut si mauis, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον cum cæteris. Alterius ista institu ti: alium hæc locum postulant. Dabunt tandem im peritię suæ pœnas. Moly, inquit Galenus eodē loco quē proximè cōmemoraui, Alliū est simplex caput habens, & nō diuisum in spicas. Quem locum si Matthęolus apud Galenū legisset, vt profectò legere debuit, nunq̄ in Molyo, & suā, & reliquorū ignoratiā

accusasset. Nihil.n.medius fidius allio isto syluestri μονοκεφάλῳ esse potest notius. Nascitur locis campestribus passim, foliis exilibus, gramini aut croco proximis, sed latiorib. teneriorib. paucioribusq́; quaternũ numerum raro excedentibus: Caule alto, tenui, concauo, albicante, in cuius vertice σκοροδοειδὲς quiddam inest. Flores candidi sunt, nõ planè iis dissimiles quos in Lilio conuallium cernimus. Radix subiacet parua, bulbosa, nullos in nucleos secta, sed simplex, & vnica, allium olens, & sapiẽs, quę causa fuit vt à Trago Allium caninum diceretur, & eo quoque sub nomine secundo loco post allium syluestre depingeretur. Sed de omnibus satis à me dictum est, pleniusq́ ac ab initio quidem putaram, nec pauca præter institutum: quare iam opportunum est classicum cõprimere, & receptui canere, contractisq́ huius epistolæ, siue potius libelli velis sensim portui adnauigare. Illud currẽs notauerim, Moly à Dioscoride vocari, & Eringion, & Solanum soporiferum, quod Plin. item cõprobat, & Rutę vtranq; speciem, Mõtanam, & syluestrem alteram. Nec me pretereunt, q̃ mõstrosa sint, quæ Plin. de suo Molyo memorat, radicis xxx. pedes longę. Verum ego super eo alibi copiosè. Hęc in transitu monuisse quid officiet? Habes igitur vir præstantissime, incomptam quidem, nec qualem tuę dubitationes exigerent, sed ingenuam respõsionem, quam ita accipias velim, vt ab eo qui te diligit sine aliquo fuco proficiscentem. Tuum erit, acri tuo ingenio, & exacto iudicio, tã hæc, q̃ alia, quę à me scripta sunt, diligẽter examinare, calculumq́ vel album, vel nigrum singulis porrigere: vtrunq;.n. æqui boniq; consulam, modo me ames, quod vt facias, etiam atq; etiam rogo. Vale.

Patauio. XIII. Kal. Nouemb. M. D. LVI.

CONRADVS GESNERVS MELCHIORI GVILANDINO S. P. D.



Respondetur proximè præcedenti Epistolæ.

PRO Epistola tua, erudita sanè & prolixa, quanquam mihi cum voluptate legenti perbreuis ea visa est, gratias tibi habeo doctissime Guilandine. Nam quòd ad breuissimam meam tam copiosè: quòd ad subitaneam & familiarem, tam grauiter & argumentosè respondere dignatus es, id quidem ex amoris in me tui abundantia profectum interpretor. Tantus autem orationis tuæ apparatus est, vt perlectis omnibus, animo consternatus, & nescio quomodo affectus (quod ex mea etiam nimium simpliciter condita, itidem tibi contigisse, vt scribis, miror) sententiam omninò mutarem, & victum vndiquaque vt faterer, non parum abfuit. Id quod (vt mox initio dicam, ne prorsus contumacem & refractarium me putes) circa bulbocastanum certè ingenuè fateor. Dabo enim hoc honori tuo, vt victoriam tibi adscribam eius rei, de

quà tecum non certaui, sed interrogaui duntaxat subdubitans, atque hoc etiam gloriosius tibi est, si me non tanquam aduersarium, sed vt præceptor discipulum vincas. In reliquis verò non æquè, vt in progressu epistolæ dicam, tecum sentio. Neque verò me à te amando, colendoq; (hoc eruditio tua, illud beneficentia meretur) acres & vehementes illæ tuæ ἐπιπληκτικαὶ ῥητορεῖαι dimouebunt: non magis quàm ab Antisthene Diogenem baculus. Imò quòd tam audacter me increpas, quòd mentem & oculos in me requiris, declamatorio quodam & penè tragico dicendi genere, equidem minimè ægrè fero: qui malim, si in alterutram peccandum est partem, nimio inueniendę veritatis feruore peccari, quàm remissione nimia nullum in nobis rerum inquirendarum studium flagrare. Itaq; & hoc tibi condono, & vicissim eodem erga te candore ac libertate homini Heluetio & liberè educato agendi, absq; vlla indignatione tua, ius egomet mihi sumo atq; postulo. Epistola mea, quantum memini, nimiùm forte familiaris, dubitationes tantùm & interrogationes aliquas continebat: vt plenius instruerer de iis, quę tu simpliciter ad me scripseras. Tu verò ita cōmotus es, ac si ea quę scripsisti, vera esse negassem, & toto (quod aiunt) cœlo aberrarem. Atqui inter errorem ac dubitationem multum interest: adeò vt inuicem contraria sint, ita vt ἕξις & στέρησις. Dubitare certè non est negare: neque penitus ignorare, sed principium quoddam & via ad cognitionem. Et philosophi hominis, non quidem ignorare nihil, quod in nullum hominem cadit: sed ignorantiam fateri primûm, deinde in vtranq; partem argumenta disquirendo conferre. ἔστι δὲ τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς. ἡ γὰρ ὕστερον εὐπο

ρία, λύσις τῶν πρότερον ἀπορουμένων ἐστί. λύειν δ᾽ οὐκ ἔστιν ἀγνοοῦντας τὸν δεσμόν, inquit in prima philosophia Aristoteles. Et in libro De longitudine ac breuitate vitę: ἀρχὴ δὲ τῆς σκέψεως ἀναγκαία πρῶτον ἐκ τοῦ διαπορῆσαι περὶ αὐτῶν. At tu longè secus, ne inquirendo anxiè veritatem in densissimas tenebras abeam, periclitari me ais: & stolidissimis hominum chymistis me comparas immeritò. illi enim rem impossibilem quęrentes meritò non inueniunt, ego verò diligenti indagatione & hactenus in hoc ipso Stirpium genere quędam inueni, Dei gratia: & inuenio subinde, nullius ante me literis, quę ad me peruenerint, prodita. Dices fortassis discentem ęquum esse credere & assentiri. Fateor: & in plurimarum rerum cognitione, doctore te frui licere mihi optârim. Sed discentium conditio duplex est: nam qui pueri vel tanquam pueri discunt: simpliciter & absq; demonstrationibus etiam, fidem actoritati pręceptorum, vt filii parentum, adhibere debent. Qui verô methodi ac demonstrationis vim intelligendo consequi possunt, illos sanè homini vtcunque amico, & auctoritati absq; certa ratione credere, in rebus quidem humanis, prorsus ἀφιλόσοφον est. In amicitia vera voluntati & beneuolentiæ vtrinq; habenda est mutua fides quàm syncerissimè, ita vt neuter de alterius animo dubitet, etiamsi euentus aliquando non videatur respondere. Multæ enim sunt causæ & circunstantiæ, propter quas multa secus quàm institueramus eueniunt. Iudicio verò & doctrinæ suæ, quamuis dubitationes in contrarium non desint, credere amicum postulare, ambitiosum est, & neruum amicitiæ æqualitatem excedit. Poteras mihi nullo artificio, paucis & breuiter comprehensis argumentis satisfacere; ac dubitationes meas

dissoluere: sed oratorem te esse, & si res postularet, vel tragœdias condere posse, declarare mihi voluisti. Non erat quod tantopere mirareris Guilandine, Italiæ quasdam, aut Græciæ plantas, mihi esse ignotas. Aut cur non Dioscoridem quoq; Galenum, Plinium, Theophrastum, Hippocratem, & alios qui in hac naturæ parte reliquis mortalium excelluerunt, singulos plurima alienarum regionum medicamenta vel ignorasse prorsus, vel nomina, vel vires eorum (nihilo hoc nomine indoctiores) non probè calluisse miraris? Cur non teipsum? qui forsan omnium hominum ad nostram usque ætatem diligentissimè harum rerum cognitionem es persecutus: ad nos tamen si venires, Helueticas quasdam, alpinas & alias quasdam plantas (non dubito) vel prorsus, vel nominibus quibusdam, vel facultatibus antehac ignotas tibi ostenderem. Tu verò admiraris, Mamirân esse Dulcichinum aut Oloconîtin non statim me tibi asserenti credidisse, idq; sine auctoritate (quis enim hoc ante te docuit?) sine rationibus. Potueras saltem ex tam breui & incompto epistolio meo, etiamsi non expressissem, hoc tempore prorsus à stirpium historia alienum me esse cognoscere: & in eo adhuc lucubrandi argumento hærere, quod ante multos annos incœpi: atque vtinam feliciter & aliquo cum studiosorum fructu aliquando absoluam: Animalium historiā dico, cuius pars De Aquatilibus totum nunc me occupat, vt vix aliud cogitare liceat. Et hæc etiam nunc quæ scribo, imò effundo, aliud agens, horas aliquot piscibus meis suffuratus scribo. Quòd si ocium suppeteret, & eâdem diligentia in plantarum historiam incumbere possum, quam nunc in pisces consumo, de paucioribus fortè dubitarem, ac minus tibi sciscitando

molestus fuisse: nec illos, quos tu mihi profers, Tralliani locos ignorassem. Sed cauebo in posterum, quando iam noui ingenium tuum, ne importunius sciscitando, aut argutius dubitando, negocium tibi facessam. Quanquam nunc etiam non malè hæc audacia mihi cecidit. Nam & ego natura (hoc est Dei beneficio) non admodum commoueor: & à bonis doctisq; viris amandis, inter quos minimè postremum locum tibi tribuo Guilãdine, nulla increpatione mè absterreri patior. Tu quoq; vicissim, si magno celsoq; animo vir es, qualem te esse mihi persuadeo, non ideo me amare desines, quòd aliter forsitan quàm exspectares tibi responderim. Magnum enim amicitiæ tuæ amissa dolorem mihi cieret. Tu qui Germaniam, Italiam, Græciam, Africæ oram, & alias regiones peragrasti: qui ingenio vales, & indefesso semper studio omne genus librorum excutis: qui doctissimorum virorum amicitiis flores, multa non me tantùm, sed publicè omnes docere potes: idq; vt facias, & omnes tuas varias, raras, eruditas, copiosasq; obseruationes, in Stirpium historia præcipuè, in literas matu rè referas, antequam humanitus aliquid tibi accidat, etiam atque etiam te rogo. Et quanquam te vellem simplicius proponere pleraq;: si tamen operæpretium videbitur interdum, ne hominum auctoritas cuiquam imponat, illis etiam qui viri magni videri volunt, interdum reprehendendis, siue nominatim, siue opinione ipsorum duntaxat, non abstinebis. De me quoq;, postremo in hoc scriptorum ordine, ubicunq; dissenseris, pro arbitrio statues. totum enim in potestatem me tibi trado. Quòd si quid laude dignum in me laudaueris, amabo te: si quid meritò taxaueris, non irascar. Puerile profectò, ἀγροικὸν & nequaquam sapientis, ne dicam impii, viri est, sanctum

amicitiæ ius propter aliquot herbas, earumue nomina, dissolui. quod hodie tamen vel inter viros magnos & graues, vt sibi, aut vulgo videntur, infrequens non est. quibus hoc ferè exprobrari posset, quod Cynicus Diogenes homini amicitiam eius expetenti, saperdam verò (aut caseum, vt alii tradunt) ferre detrectanti, dixisse fertur: τὴν σὴν καὶ ἐμὴν φιλίαν σαπέρδης διέλυσε. Nisi tu fortassis aliud etiam hîc spectari putas, gloriam & ostentationem ingenii, quo nemo libenter cedit. At hôc etiam absurdius est, ambitionis & contentionis studio summam virtutum amicitiam soluere. Nos igitur istos, φίλη κεφαλὴ, rideamus: & alter alterius posthac sententiam ac argumenta, placidè tranquilleque (hoc est, ἀπαθῶς, aut certè μετριοπαθῶς) audiamus: vt, si fieri poterit, consentiamus per omnia: sin minus, salua amicitia, liberè, simpliciter, candideque inter nos dissentiamus, nullis æmulationis, inuidiæ, simultatis, aut calumniæ affectibus obnoxii, vt indoctissimi quidam docti hodie sunt. Amicitia vera animorum inter se vinculum est, virtutum ac pietatis ratione connexum. his igitur saluis, quorum nomine suscipitur, rumpenda non est. Quid ad virtutem aut pietatem herba, frutex, lapis, piscis, quæ vel suis nominibus ignorari, vel ipsa stirpitus interire, quàm sacrosancta amicitiæ iura, quorum autorem imò exemplar Deum habemus, inter homines violari præstaret. O vita, ô mores. Non tecum iam Guilandine loquor: nec te huius criminis reum facio: sed alios nostri temporis homines, vix homines, noto: qui mundo se deridendos præbent, dum vel in medicina nostra, vel aliis de rebus neque magni momenti, & ad vitam ac pietatem minimè necessariis, litigantes, tumultuantur, insaniunt, cœlum terræ permiscent, neque somniantes

tantùm (vt tu somniabas) sed vigilantes ἱπποµανοῦν/στιµ. ἁπλοῦς ὁ µῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Nihil simplicius veritate, nihil simplicitate pulchrius, cùm aliis in rebus, tum in oratione & doctrina. Agamus igitur deinceps inter nos quàm simplicissimè, & vt in Areopago moris erat (neque.n. maior illius maiestas fuit, quàm amicitię inter viros bonos esse debet) ἄνευ παθῶν ϗ προοιµίων: vt veritas ipsa nuda sic magis elucescat. quãquam enim feruore aliquo & iusta ęmulatione ingenium in astruendo vero excitatur, nimium tamen altercando & indulgendo affectibus sępe amittitur veritas. Ego fortè te omnium in hac palęstra exercitatissimum; aut nihil aut perparum docere possum, mi Guilandine: excitare saltem te & veluti obstetricando, ea quę concepisti, quęq; parturis, vberius, felicius & maturius in lucem vt edas, interrogando dubitandoq; efficere, quantum in me est, percupio, nam hoc etiam non cuiusuis est, de vnaquaque re commodè dubitare. Sed egomet mihi prolixitate mea displiceo, quam tamen epistola tua propemodum mihi extorsit. Expectas fortè vt ea quæ ad confirmandas opiniones tuas attulisti, tandem refellam: ego verò non tecum disceptare, sed profectò abs te aliquid addiscere, & rationibus tuis intellectis, cùm ipse solidius tecum sentirem, tum apud alios iisdem argumentis vti, & sententiam tuam fulcire possem, in animum induxeram. Nunc quoniam & res ipsa postulare, & tu quoque petere videris, si quid in contrarium possem, vt depromã, ne facile de sententia semel non sine ratione concepta recedere videar, quod leuitatis non iudicii est, expectationi tuæ aliqua ex parte (quantum & per ingenium et per ocium licet) satisfacere conabor.

Non deessent mihi probabilia multa quę in cõtra-

rium adferrem: iis tamen abstinebo, cum mihi proli xiori esse nec liceat nec libeat: quanquam tu quoq; in tuis astruendis probabilia multa, vt oratores solent, non vndiquaq; firma aut necessaria, protulisti.

Quid pridem ad te scripserim, non equidem satis memini, neque epistolæ ad te datæ copiam habeo: sed ex tua, quæ scripserim, pleraq; agnosco. Primum igitur in eo quod dubitaui an Mamirâs Pauli, Bulbocastanum Tralliani forte esset, plenè à te satisfactum mihi est: & plantas esse diuersas facile agnosco, & tibi qui tam liquidò id mihi demonstrasti gratias habeo maximas. At superiori æstate cum semina quædam peregrina ad me dares pro tua liberalitate, pro Mamirâ quidem Dulcichinum mittebas (vt nunc quoq; sentis) radiculas scilicet: eam verò Oloconitin Hippocratis esse negabas, quòd ridiculè rhizotomus quidam ita sensisset: Oloconitidis autem semen seorsim mittebas, nigrum, rotundum, durum, sapore ferè nitroso, magnitudine qua minimum genus viciæ. Schedæ inscriptio hæc erat: Oloconitis Hippocratis, quod ei apud reliquos medicos nomen quærendum. Nunc verò in epistola tua, quæ prius separatieras, coniungis: Trasi siue Dulcichinum recentiorum, Pauli Auicennæq; Mamiran, Hippocratis Oloconitin esse magna voce clamas, & asserentes idem Hippocratis manes producis. Itaque cum forte dubitaui, posset'ne idem bulbocastanon dici, quòd radix veluti bulbulus quidam, saporis dulcedine castaneis proximis (vt Matthiolus scribit) appareret: nunc verò penitus tecum sentio, postquam & Bulbocastani radicem mihi cōmunicasti, & Rhodios etiānum sic appellare docuisti, &c. Quamobrem & asser tam à te verā Tralliani lectionem, & rem ipsam quoque demōstratam, ex animo tibi gratulor, assentior,

gratias habeo:& cùm doctrinam diligentiamq; tuam admirabilem veneror, & candorem exosculor: qui communia mihi & hæc, & alia complura, doctissimis tuis ad me literis & nunc & prius facere dignatus es. Bulbocastanon igitur quid sit, nihil est quod amplius addubitem. Mamirâs verò quid sit, si venia tua licet, adhuc sum dubius: & rursus veteris alicuius Medici (non Hippocratis, qui Mamirân fortassis haud agnouit: sed Pauli vel Auicennę) manes, si qua arte non illicita potes, non magia, non necyomantia, euocari à te vellem, qui omnem nobis hac de re dubitationem tollerent. Tu Mamirân Dulcichinum esse affirmas, aut potius somnias: ego vigilans nego. Veterum igitur de Mamirâ audiamus scripta: & an ea Dulcichino conueniant, consideremus. Mamirâs (μαμιρᾶς, vltima circunflexa in prima declinatione, & seruat alpha in obliquis) veluti radicula quædam est, οἷον ῥιζιόν τι, herbæ, habens veluti nodos frequentes (κονδύλους πυκνοὺς) quæ cicatrices & albugines attenuare creditur, abstergentis nimirum naturæ, Aegineta lib. 7. Mamiram Auicennæ libro 2. cap. 487. est lignum sicut nodi, declinans ad nigredinem, in quo est reflexio parua: & est acutius quàm venę tinctorum, calidum & siccum in fine secundi gradus. abstergit & expurgat. siquidem abstergit albedinem vnguium. Succus eius humiditatem crassam detrahit, & purgat excrementa cerebri. Radix eius dolori dentium medetur. Purgat albuginem oculi, & acuit visum. fit cum eo alcohol, & abstergit humiditatem crassam, proprrie succus eius. Radix etiam vtilis est ictericis. Dolori ventris pungenti medetur: & est in eo prouocatio. Hęc Auicenna. Quòd si vires Mamirâ perpēdas, easdem

omnes ferè Chelidonio vel maiori vel minori, à veteribus Græcis adscriptas reperias. non dico chelidonium Mamirâm esse, vires conuenire dico: nempe chelidonium maius euidenter calfacit, & siccat (hoc est in secundo gradu, vel principio tertii) abstergit, crassos circa pupillam humores discutit, radicis & succi vsus est. è succo collyrium fit. dentium dolori medetur. ictericis prodest. hæc omnia suo Mamirâ tribuit Auicenna: & insuper quòd vngues albos (scabros intelligo) emendet, & propter acrimoniam succus eius naribus immissus, caput expurget: quæ duo remedia Græci chelidonio minori attribuunt. Non (inquam) Chelidonium Mamirân esse dico, sed viribus cum eo congruere: vnde apparet, quantum à dulci, humectante & inflante radice Dulcichinorum absit. Acutius (vel, vt vetus interpres habet, calidius) esse Mamiran Auicēna inquit, quàm venas tinctorum. Eodem autem libro cap. 736. de venis tinctorum scribens (Arabicè est Haruchsubagin) eadem prorsus de ipsis tradit, quę de Chelidonio Galenus. Ergò Chelidonio aut ęquales habebit vires Mamirâs, aut etiam vehementiores. Quid hoc ad Dulcichinum radiculam, quę primum calfaciendi ordinem non excedit, & acrimonia omni caret? Neque hic me commouebunt argumenta tua Guilandine, quibus circa Doronicum vteris, quod in Europa & nostris regionibus, sapore, odore, viribus cęteris inferiora nascātur pleraq;. Videmus enim & experimur eosdem primarum qualitatum ordines in nostris herbis reperiri plerisq; omnibus, quos suis olim Gręci attribuerunt: quòd si pauca quædam excipias, nihil hęc ad vniuersalē sententiam infringendam faciunt. Possem hîc euagari ad lōgam digressionem, sed non libet nec vacat. In Dulcichinis eximia est dulcedo:

Mamirân dulcem esse nemo dixit, sed acrem & acrimonia abstergētem: qua quidem facultate remedia multa præstat, ad quæ nemo hodie Dulcichinis vtitur, nec vteretur profectò feliciter. Dulcichini radiculas geniculatas cernimus: in Mamirâ condylos, ideſt nodos habent. Sic & Polypodii radices, nodis & veluti cicatricibus aut tuberculis distinguuntur; geniculatæ non sunt. Taceo Auicennam Mamirân lignum facere, quod Dulcichino nequaquam conuenit, & Aegineram non radiculam, sed veluti radiculam. Apud Trallianum lib. 2. cap. 5. ad exterendas cicatrices oculorum, vox μαμιρᾶς in Græcis codicibus deest: à Gonpylo ex Aegineta eum in locum rectè reposita. Apud Nicolaum Myrepsum requiritur in Antidotum de Croco Esdræ, mox ab initio: Actuarius in Ruellii versione habet Mameræ. Aetius quidem & Paulus in eiusdē antidoti descriptione (Fuchsio teste) Mamiræ non meminerunt. Doronicum orientale Paulo Arnabo aut Mamirâs vocatur: eo Romanū durius & solidius est: Fuchsius. Sed profectò Doronicū, Arnabo & Mamirâs, vt vocabularia tria, ita res etiam tres diuersę sunt, vt ostendemus. Doronicum nostrum, vt vulgus medicorum appellat, quod in alpibus nostris & hortis etiam trāsplantatum, prouenit, mollius est Romano & orientali, ni fallor. ad manū.n. peregrina nunc non habeo nostrum molliculum esse scio. Ruellius apud Actuarium Mamirân interpretatus est Doronicum, ita vt lector suspicari possit ipsius auctoris eam interpretationē esse: quod fidi interpretis nō est, & multis fortè imposuit, sicut & Fuchsio Gyraldus Symeonis interpres: Errāt (inquit Fuchsius) qui carnabadium recētiorum Grecorum, idē cum doronico esse putant. nā ita Symeoni Sethi careum appellatur. Nicolao autē

Myrepso cuminum Aethiopicum. Atqui hoc non Symeon græcè scripsit, sed de suo adiecit Gyraldus interpres, carnabadium esse careum. Cæterum iisdem ferè rationibus, quibus Dulcichinum non esse Mamirân negaui, Doronicum etiã vulgò dictum Mamirân esse negari potest. Iacobi Syluii etiam verba de Doronico ex Serapione non bona fide recitantur: Doronicum (inquit ille) Serapioni est radix parua, foris subflaua, intus alba, dulcis, calamo aromatico similis, calida, sicca, ordine tertio. flatus, præcipuè vteri dissipat: cordis palpitationi confert, ipsumq; roborat. venenosis ictibus auxiliatur sumptum, & admotum (cum ficubus): Hæc Syluius. At Serapionis codex meus Argẽtinæ olim excusus, in voce Haronigi (Syluaticus legit Varonig) capite 325. neque dulce Doronicum, neque Calamo aromatico simile facit: sed reliqua, quæ Syluius, de eo tradit: Frusta sunt (inquit) crassitudine ramorum fœtharagi, magnitudine nodi pollicis ad summum: & sunt venæ (radices) albæ intus, subcitrinę foris, aliquantulum duræ & graues: & deferuntur ex Sem vt plurimum. Et mox de viribus, eadem quæ iam ex Syluio retulimus, scribit: (quæ certè cum Doronico hodie dicto siue Europæo siue orientali, minimè conueniunt:) & antidotis magnis admisceri ait. sicut & Auicenna lib. 2. cap. 210. Durungi vel Durunegi vocans: Est autem (inquit) frustum lignosum radicale, nodos habens, interius album, &c. Loco eius ponitur zurumbad æquale pondus, aut duæ tertiæ ponderis ipsius de caryophyllis. Ex his verbis descriptionem Mamirâ & Durunegi, similem esse apparet: colore tantum excepto: nempe lignum radicis instar, nodosum. remedia verò ex vtroq; diuersa: etsi vtrunque calidum

ac siccum

ac ſiccum ſit, hoc ordine tertio: illud in fine ſecundi.

Ergo veri Doronici ſeu Duruneġi loco, quandoquidem eo caremus, vel galangam, vel zedoariam, vel caryophyllos cum ſeminibus, quæ flatus diſſipant, vſurpabimus. His ſcriptis, apud Syluaticum ſic legi: Doronec radix eſt ſimilis brancæ pulpi, (pedi vel brachio polypi, acetabulis tanquam nodis aſpero: à qua ſimilitudine filiculæ etiam nomen fecerunt Græci) & adfertur ex India, ſed quia raro habetur, ponitur pro ea vernix: Sed pro vernice puto varonig legendum, quod eſt Doronicum Serapioni, vt paulò antè recitaui. Idem Syluaticus alibi, ſine au ctore: Dironici (inquit) ſunt radices paruę, cuiuſdam herbæ ſimiliter nominatę, habentis folia parua, vtcunq; rotunda, & flores violaceos. naſcitur in muris & rupis, (rupibus.) Et eandem eſſe Varonig Arabicè dictam ſentit. Vulgare noſtrum Doronicum flores luteos profert, hedypnoidis aut barbæ ſenis (quā vocant) floribus ſimiles forma coloreq́; qui forſitan cærulei quoque in ſpecie alia mihi adhuc ignota reperiuntur. Doronicum nominatur in Diambro Me ſuæ: Actuarius in eodem non habet. Doronicum vulgò dictum nimia dulcedine omnes ferè radices, ita vt amaritudine Gētiana, acrimonia Zinziber excedit: at veteres Doronico ſuo nullam ſaporis dulcedinem adſcripſerunt. Quòd ſi etiā tibi donarem Doronicum noſtrum & veterum (ſic enim Durunegi appello) eandem eſſe herbam, quoniam tamen, vt tu quoq; fateris, noſtro eædem vires non ſunt, in remediis quę veteres præſcripſerunt, nō noſtro vtendum, ſed aliis ſuccedaneis de quibus dixi: inter quæ & Zurumbad eſt. Matthiolus in Serapione duo capita de diuerſis Zurumbet cōfundit: poſterius ſanè videtur carpeſium, & Zarnabo ab Auicenna dicitur: nam &

L

festucas esse aiunt arboris cuiusdam,& pro cinnamo mo poni,&c. Zedoaria Auicennæ(Algieduar ipse nominat) eadem præstat quæ Aristolochia,& quę Durungi: sed efficacius quàm Durungi aduersatur venenis,nominatim napelli (vt Antitora dici merea tur) viperæ & aliis. Porrò Zurumbad eidem est her ba,vel lignum,vt Bellunensis emendat,simile cypero,sed maius,& minus odoratum,calidum & siccum in tertio abscessu. Flatus dissoluit,impinguat,& aufert odorem vini,& aliorum & ceparum. Cordi læti tiam & robur cōciliat. Vomitum retinet. Astringit naturam,(aluum intelligo) & vteri inflationes pellit. Morsibus venenosis efficacirer medetur, Zedoariæ in hoc propinqua. Ponitur autem loco eius aduersus venena Durungi sesquialterum,& duę tertiæ (portiones) ponderis eius de taraxaco syluestri,& di midium ponderis eius de granis citri. Vides quàm cognata inter se natura ac viribus remedia sint, Zedoaria,Zurumbad & Durungi: & quàm iniquè facturus esset, qui pro aliquo istorum Doronicum no strum supponeret: Rutam ego malim,aut Aristolochiam,ex remediis quæ nostræ regiones ferūt,quàm Doronicum nostrum pro veterum Durungi vsurpa ri.sed Zedoariam præ cęteris probo. Cęterum quod Zurumbad Arabes, hoc Gręci recentiores carnabadium dixerunt, vt ex Symeone Sethi apparet: καρναβάδιν (inquit) calidum est & siccum ordine tertio. concoctionem ciborum adiuuat, flatus dissipat, sto machum roborat, ventrem sistit, lumbricos interimit, vrinam cit, pituitam incidit, sed flauam bilem in calidis corporibus gignit. Porrò Zurumbet h alterum Serapionis (Cap. CCLXI. in mea editione) quod Arabicè aliter in translatione Galeni Tarich adhueba vocari dicit:aroma est calidum &

ficcum prope tertium gradum, casfiæ & cubebis viribus proximum, quod pro cinnamomo poni Galenus & Paulus auctores sunt. Et Isaac filius Amram: Est (inquit) arbor magna, in montibus Lubnen: id est, in Oriente, nullo fructu, foliis longis, colore inter viridem & citrinum, similia foliis salicis: idem & ramorum color est, odor citri. Calefacit, siccat, astringit, resoluit, (flatus nimirum, potius quàm apostemata, præsertim matricis, vt in cap. 72. ex Mesarugie quidam transtulit) & astringit ventrem. Est in eo astrictio vnà cum subtilitate & caliditate. Eadem efficit quæ nux moschata, sed est subtilior ea. Confert dolori capitis frigido & humido cum oleo violaceo, si sternutatorium inde fiat. Stomacho & hepati vi aromatica sua prodest. Hæc Serapio. Vnde apparet facultates easdem ferè vtrique Zarumbeth suo eum attribuisse: & si fortè errauit Matthiolus, duobus capitibus in vnum confusis, leuem & ferendum hunc errorem esse. Sed prolixior sum, quàm par sit. Certè Arabes medici plerique sæpe res diuersas in vnam confundunt, & ex vna propter nominum varietatem multas faciunt: & scripta Græcorum ineptè transferunt: quanquam in plurimis interpretes potius eorum, quàm ipsi fuerint accusandi. Carnabadium, Zarnabo, Arnabo, aut res vna & eadem sunt, aut substitui inuicem possunt. Zarnabum simul & Zeduaris in Antidotum diamoschu Actuarii recipiuntur. Zadera in diamargaru. Carnabadium & zedoaria in Antidotum aureā Alexādri. vbi Fuchsius Nicolaū Myrepsum Carnabadi nomine intelligere dicit cuminum Aethiopicum, idq́ constare ex antidoto eius 406. vbi ipse ita interpretetur. Ego in ea antidoto nihil tale inuenio, & numerū à librariis corruptū puto. nec magna apud me Myrepsi

auctoritas ẽ. Cuminũ Aethiopicũ certè carnabadiũ esse minimè concesserim, sed in locum eius fortè succedere posse. De grano alzelen Bellunẽsis verba hęc reperio: Granum alzelen vel allezen, est granũ quod apud Venetos appellatur Dolceghini: & nascuntur etiã in Africa, et alio nomine Arabico dicuntur Hab alzizi. Eius sententię Leonem quoq; (nescio quem) Africæ descriptorem esse ais: Eruditus etiam & longẽ peregrinatus vir Alexander Benedictus idem sentit. Tu contradicis. Mihi hoc tempore non licet diligentius rem perpendere. Video tamen Granum zelim à Serapione describi Cap. CCCXXVII. & reprehẽdi illos, qui id cum Croni vel pipere Nigrorum confundunt. Ego Dulcichinos granum alzelin esse sentiam: Croni verò vel piper nigrorum, id quod tu etiam sic appellas, sed cum grano alzelin contra Serapionis sententiam confundis, donec verisimilio ra cognouero. An non Dulcichinum tu quoq; calidum & humidum esse fateris, & Venerem stimulare? atqui hoc de grano alzelin scribunt. Conuenit & color, albus interius, foris citrinus: & sapor bonus, videlicet dulcis. sed magnitudo ciceris, inquies, nõ conueniet. atqui missæ à te Dulcichini radiculę paruæ sunt, & in Africa multo minores nasci testis est Alexander Benedictus, vbi & cicer fortè maius habetur: si modo ciceris rectè trãstulit interpres. Quòd si res eadem nõ sit, vires verò sint eædem, quid est quòd digladiemur? Venio tandem ad Oloconîtin & Môly. Ολοκωνίτιδος τῆς γλυκείας ῥίζα. ἐστὶ δὲ ὡς ὁ βολβός. σμικρὸν δὲ ὡς ἐλαίη. Verba sunt Hippocratis Lib. I. De muliebr. morbis. vbi à Dioscoride ὀρεοκονίτιδος pro ὀλοκωνίτιδος scribitur. φησὶ δὲ Διοσκουρίδης τὴν ἐν ὄρει γινομένην ὀρεοκονίτιδα ὀνομάζεσθαι, Galenus in Glossis. Ex quibus verbis miror putare te

Guilandine coniecturam meam Oloconîtin Hippocratis, Moly Dioſcoridis eſſe deſtrui poſſe. quaſi nō etiam Moly illud in montibus naſci poſsit. aut ſi in montibus non naſcitur, quid tum poſtea? neq; enim vel Gal. vel aliquis bonus auctor hoc dixit: ſed Dioſcorides, veluti grāmaticum agens, & etymologiam quærens cur oroconitis diceretur, à montibus ſic dici eam coniecit. Moly quidem Theophraſti ſiue idem, ſiue aliud eſt, apud Pheneum & Cyllenam Arcadiæ montes naſcitur. Quin potius Galeno credamus, cui ὀλοκωνῖτις eſt βοτάνη τις ἀγρία λαχανώδης: hoc eſt olus quoddam ſylueſtre: (vtpote & bulboſa & dulci radice) olera autem quamuis ſylueſtria, non herbas montanas, aut in altis tantùm montibus naſcentes appellamus: ſed quæ circa vrbes & pagos, & in agris ferè naſcuntur. Dioſcoridem dicat aliquis bonum eſſe auctorem: eſto, ſed Anazarbeum, cuius De medica materia libros habemus: De illo autèm Galen. hîc non loquitur, quod tu non animaduertiſti, ſed de altero recentiore qui proxima ante Galenum ætate (patris ipſius memoria) vixit: & multis libris Hippocratis dictionem exponere conatus eſt: vt ex Galeni in Gloſſas præfatione apparet. Hunc verò tanquam minimè bonum auctorem aliquoties reprehendit Galenus. Sed vehementius inſtas: Galenus (inquis) μώλυζαν Hippocratem vocare ait, quæ cæteris Môly dicatur. itaq; infers, Moly Dioſcoridis & aliorum, Hippocratis Molyzam eſſe, non autem Oloconîtin eius. Impoſuit tibi forte Latinus interpres aliquis: certè Galen. Græcè hoc non dicit, his verbis: μώλυζα, σκόροδον ἁπλῆν τὴν κεφαλὴν ἔχον, καὶ μὴ διαλυομένην εἰς ἄγλιθας. τινὲς δὲ μῶλυ. hoc eſt, Molyzam vocat Hippocrates allium capitis ſimplicis, non in ſpicas diuiſum. Aliqui verò

moly interpretantur: insinuans priorem sententiam sibi magis probari. meritò sanè: nam Hippocrates libro 1. De muliebribus morbis fœcunditatis experimentum hoc scribit: μώλυζαν σκορόδου ἀποξέσας, προσθεῖναι, καὶ ὁρῆν εἰ ὄζει τοῦ στόματος ὄζηται. sic enim posteriora aliquot verba legi oportere & res ipsa, & Cornarii interpretatio indicat, quæ huiusmodi est: Caput allii derasum appone pro pesso, & an odor per os transeat obserua. Porrò in simplicium medicamentorum censu, & μύλυ & μῶλυ à Galeno memorantur: Moly eius, est ruta syluestris Dioscoridis, quam & ipse Môly vocari dicit in Cappadocia à similitudine quam cum Moly seruat radice nigra, flore cãdido: Myle vero Galeni proculdubio Dioscoridis Moly est, radice parua, bulbosa, vuluis vtili. An verò eas aperiat, an claudat: & meliórne Dioscoridis an Galeni lectio sit, nunc inquirere tempestiuum mihi non est. Plinius Molon appellauit, caule striato, foliis mollibus, paruis: radice quadrantali, in qua per extremum allii caput extuberat. Eodem Syron aut Scyron Plinio dicitur. Ego Oloconitin (sic enim sine aspiratione scribere malo) Hippocratis, Dioscoridis Moly, & Galeni Mylen, eandem esse stirpem, sententiam nondum muto. Myle quidem à rotunditate radicis dici posse videtur: nã & μυλοειδὴς rotundum significat. Cæterùm an allium caninum Tragi, Dioscoridis Moly sit, accuratius mihi inquirendum videtur: in præsentia nõ concesserim. Moly vel Morion Plinio lib. 21. cap. 31. halicacabus est, opio etiam (inquit) velocior ad mortem. Iam quod Môly idem esse cum Aglaophotide terrestri Aeliani affirmas, vno duntaxat argumento, quod Môly etiam vt Scholiastes Homeri prodit, ἑλκόμενον τῆς ῥίζης τῷ τέλει θάνατον ἐπιφέρει τῷ ἀποσ

ἐπιῶντι, quod Aelianus Aglaophotidi attribuit: nō satis ad faciendam fidem mihi videtur: & possem verisimiles aliquot rationes contra te producere: sed nihil quàm λογομαχία aut σκιαμαχία quædam hæc fuerint: quoniam res ipsæ nobis ignotę sunt, ex remotis ad Orientem terra mariq́ petendę: ab incolis scilicet Arabiæ, à quibus forsitan aliquis ad Troglodytas aut Indos remitteretur. Sempter enim longius refugiunt huiusmodi miracula, & tandem nusquam in natura reperiuntur. Hoc tantùm dicam, non debuisse te asseuerare tanquam luce meridiana clarius (sic enim loqueris) Moly Aglaophotin esse, sed ex coniectura duntaxat hoc proponere, propter similem ab auctoribus traditam radicis euulsionem, quę coniectura tamen, vt dixi, infirma est: nam & Mandragoræ radicem cùm olim sic solitam erui, Eustathius refert in μώλυος mentione: tum hodie itidem de eo quidam nugantur. Et Hyoscyamum & ὀπὸν (Papauer nigrum fortè intelligit) similiter, non tamen canibus, sed auibus alligatis, Aelianus alicubi tradit. De Bulbocastano, vt dixi, planè tibi subscribo: sed quæ de facultatibus eius scribis, non satis assequor. Numeras enim id inter ea, quæ ob succi crassitiem vasa sanguinem continentia modicè obstruere, & pectus lenire, atq; abradere queant. Et subinde, Castaneas verò (inquis) tantū abest detergendi farciendiq́ vi pollere, vt nihil detergētibus & farcientibus magis esse possit cōtrarium. Et paulò post, Bulbocastanum non aliam esse plantam quàm ego assero, argumenta habeo, tum quia attenuandi natura pollet, & lentitiam in se habet, &c. At si crassi succi est Bulbocastanum, & obstruendi leniendíque vi prædítum, & farciendi, similiter vt alica, itrium, similago, (quibus cum à Tralliano numeratur)

& reliquum genus emplasticorum: quomodo abradere, detergere & attenuare, vel ipsum: vel vllum aliud emplasticum dicemus? Trallianus non quibusuis purulentis, vsum istorum commendat, neque vt pus & sordes pulmonis abstergantur: sed iis tantum, in quibus sanguis purus apparet, quem sisti & obturari meatus res postulat.

Hæc habui in præsentia, quæ subitò ad epistolam tuam mox vt accepi, respondere visum est: tu scriptionem tumultuariam & inconditam æqui boniq; facies. Ego enim hæc omnia & tuo & amicorum iudicio submittere paratus sum: & te magis etiam in posterum, quàm si nulla vnquam inter nos controuersia oborta fuisset, amabo.

MATTIOLVM de facie non noui, neque vi ri ingenium aut mores. Doctrina eius & diligentia, ex editis in Dioscoridem Italicè Latineq; Commentariis, non vulgaris apparet. Sicubi tamen errat, aut errauit, humanum hoc est, & nobis commune. Emendabit fortè multa in posteriore editione, quæ nunc expectatur. αἱ δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι. Quamobrem si quid in eius scriptis est, quod reprehendas, modestius & simplicius vt facias rogo: neque tam hominem, quàm eius errores vituperes.

ἔλεγχ᾽, ἐλέγχου, λοιδορεῖσθαι δ᾽ οὐ πρέπει
ἄνδρας φιλοσόφους, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Vale optime mi Guilandine, & me ama. Tiguri. Martii die X. Anno Salutis. M. D. LVII.

GENE-

GENEROSO HEROI NICOLAO A SALM &c.

Comiti cumprimis Illustri,

MELCHIOR GVILANDINVS BORVSSVS R.

S. P. D.



QVANTVM in rebus humanis Casus valeat, Magnanime Here, nunc tandem abundè satis magno meo emolumento, & incomparabili planè lucro deprehendi. Conatus enim persępe sum, cum Parauii esses, insinuare me tuę amicitiæ, quò tibi meus animus, studiumq́, & voluntas innotescerent. Verum nescio qui semper ingenuus dixerim, an rusticus obstitit pudor, vt qui nec me tibi satis notum sciebam, & virtutis, fortunęq́ tuæ quodam quasi fulgore deterrebar. Sed commodùm superioribus proximis diebus C. T. Venetiis idem quod me quoque excepit hospitium: quæ res ansam mihi prębuit nimis hercle quàm insignem, frontem pertundendi, & tuæ me notitiæ prociciter ingerendi. Non'ne ego homo felix sum, vereq́ beatus, qui me tanti herois familiaritati in discessu, pręter spem

atque expectationem meam intruserim? Casus is fuerit, an Fortuna, cui omnia expensa, cui omnia feruntur accepta, quæq; in tota ratione mortalium, sola (vt Plinii verbis vtar) vtramq; paginam facit: Prouidentia, an Fatum, quod vt Chrysippus citante Plutarcho tradit, mundi est ratio, vel lex eorum quæ in mundo prouidentia constituuntur, aut ratio, ad quā omnia quę fuêre, facta sunt, quæq; sunt, fiunt, fientq; quę futura sunt: Prędestinatio, an Necessitas, quę vt Thales referente Aristotele putat, naturæ præualet vniuersę: Iustitia, an lex diuina, quam fatum esse, per quod ineuitabiles cogitationes Dei, atq; incepta complentur, Apuleio consentimus: Mundi architectrix, an πίθος, hoc est Pandorę dolium, quę, vt Poetę censent, prodeuntibus ad generationem animis bona distribuit, vel mala: διὸς νοῦς, an denique δαίμων, per quem, vt Socrati apud Xenophontem visum est, & desideria nostra, & merita ad deos comeant, atq; opera cuius, vt Plato in Symposio autumat, cuncta denuntiata, ac Magorum varia miracula, omnesq; pręsagiorum species reguntur; haud scio; quando voces hę simul omnes, & his confines alię plures, exiguo eruditorū sententia inter se discrimine separatę sunt, imo si diligentius expēdantur, atque ęqua lance ponderentur, ad Lydiumq; (quod dici solet) lapidem excutiantur, ne latum quidem vnguem dissidere deprehenduntur. Equidem & lætor vehementer, & doleo vehementer, quòd integrum mihi sit ex tuorum me esse seruorum numero profiteri, quòd & serò in album eorum descriptus sim. Mitto auiculæ, nescio cuius, sed agnosces ex inscriptione, deliniationem, non vt gratum faciam tibi, quanquam tibi quoque, sed vt mihi, hoc est vt promissis stem, fidemq; datam redimam. Immensa nunc præter cæteras cura subit,

vt,quę tibi mittuntur, condigna sint. Verum & diis lacte rustici multæq; gentes supplicant,& mola tantum salsa litant,qui non habent thura. Quo pretextu,si Plinio illi eruditissimo ad Vespasianum Imperatorem scribenti sua tueri integrum fuit, quantò ego causatius eodem apud te argumento defendor? Cæterum ipse sic statuas velim,esse me C. T. tam deditum,quàm qui maximè. Proinde, si qua in re tuis rationibus opera nostra fieri melius potest, omnem me subiturum aleam vel summa alacritate, iam hinc certius tibi pollicearis, licet. Optimè vale Illustris Here. Ex vrbe Patauio IV. Kal. Ianua. Anno à Christo nato. M. D. LVI.

MELCHIORIS GVILANDINI BORVSSI R.

Manuco Diattæ, hoc est auiculæ Dei descriptio.

MEMORIAE literis proditum est,apud eos,qui integra de Hispanorum nauigationibus in alienum & tot iam seculis incognitum orbem volumina condidêre, in Moluccis insulis auiculam quandam pulcherrimam oriri, mole quidem corporis exiguam,verum pęnarum ob causam,quæ ei sunt amplissimę inq; orbem digestę,ita vt amplioris circuli describant ambitum,primo aspectu videri maximam. Eam à nemine vnquã mortalium viuam

in terra conspectam esse, sed summo quandoque ex æthere examinem in humum decidere, atque tunc ca su repertam sanctissime ab incolis asseruari, quippe apud quos tanta sit in veneratione, vt etiam se illa re ges ipsi tutos in bello existiment, quamuis suo more in prima acie collocati fuerint. Cæterum appellant vernaculo sermone Manuco diatta, hoc est auiculam dei, propterea quòd eam in Paradiso tantum, loco solius dei, vti arbitrantur, proprio, nasci firmiter per suasum habeant. Auicula est corporis magnitudine & penè forma coturnici similis, pennarum ambitu di scolore, sed venusto admodum & decoro, visusq; iu- cundissimo vndiq; exornata. Caput quale hirundi- nis, maiusculum, pro corporis amplitudine. Pennę superiorem eius partem à prima ceruicis vertebra ad rostri vsque initium exornantes, breues sunt, crassæ, duræ, spissæ, coloris lutei insigniter splendentis, & au ri purissimi modo, radiorumue solarium instar ful- gentis. Cæteræ quę mentum contegunt, & mollio- res, & tenuiores, atque ex cyaneo mirè equidem vi- rides deprehenduntur, haud planè colore iis dissimi les quas in anatum masculorum capitibus, dum luci dissimo obuertuntur syderi, conspicimus. Rostrum item quàm sit hirundini prolixius. Pedes nulli. Pen- nę alarum ardeis forma pares, sed tenuiores longio- resq;, colore fusco inter ruffum & nigrum splenden tes. At cum omnes, tum quę alas constituunt, tum quę caudam efformant, in orbem extendantur, rotæ similitudine (etenim cuti animantis veluti infixa hę- rent spicula immobiles planè) mirum videri non de- bet, sponte sustineri, neque vnquam in terris, quoad in viuis est conspici, quando & pedibus, vsus nullius in aêre existentibus, prorsus destitui (quanquã id de cretis Aristotelis summi Peripateticorũ scholę prin

cipis aduersari nouimus, auem vllam pedibus carere negantis) paulò ante dictum sit. Cæterũ exoriun tur iuxta singulas maiorum pennarum alas constituentium origines, aliæ quoq; minores, neque sanè paucæ pennulæ, quæ supra maiorum principia extensæ, illa obtegunt, dimidio quisquiliatæ, ruffę, coccineæúe, reliqua parte croceæ, & fuluo auri colore splendidæ, multum equidem gratiæ ac venustatis auiculæ, ob eximiam illam & singularem colorum disparitatem, concilliantes. Reliqua corporis moles tota pennis fuluis in ruffum colorem vergentibus obducitur, ita tamen vt aliquid adhuc inter eas discriminis animaduertas. Nam quæ in pectore & ventre collocantur, & frequentissimæ sunt, & pariter latissimæ, duorum triumúe digitorum amplitudine, colore fuluo & eo quidem nitidissimo, haud sanè alio quam iecur ipsum splendentes. Quę vero dorso infixę sunt, rariores, neque ita frequentes esse apertè cognoscimus, & insuper amplis diuisuris hiare, pennarum omnino ardearum tergo adherentium similitudine, clarè videmus. Neque etiam ad tam insignem latitudinem accedere, aut præstantem illum hepatis colorem adæquare, quin puniceo potius colore, carni æmulo, obscuriore etiam num relucere, plenissimè perspicimus. Porro pennæ hæ simul omnes, tum quę à ventre suam trahunt originem, tum quæ è dorso enascuntur, caudam, cum sint longissimæ, constituunt, quia ea cæterarum auicularum more minimè exornatur: neque id magnopere mirum, quando & alæ ipsę diuersa sint ratione concinnatæ, quippe quæ in arctum contrahi, aut latum diffundi pro animantis libitu nequeant, sed vno tantum eodemq́ modo naturaliter perpetuò consistant. Prętereà masculi huius aui

culæ dorsum omni ex parte depressum inflexumq́ est, adeo vt sinum quendam foueamq́ efformet. In eam cauitatem oua fœminam deponere ratio ipsa claro est argumento, quum & fœmina ventrem cauum obtineat, vt hoc pacto oua facilius posfit incubare, ac tandem pullos excludere. Deniq; adnectuntur maris dorso fila gemina, nigra, cornuum modo vtrinq; in rectum extensa, tres & amplius palmos longa, neq; rotũda exactè, neq; etiam perfectè angulata, sed figura inter quadratum & rotũdum media, nec crassa valdè, nec summè tenuia, verum sutorio fi lo haud planè dissimilia. Horum vsum talẽ esse cum reliquis huius seculi eruditissimis viris existimo, quò nimirum fęmina dum oua incubat, mari firmius alligetur copuleturq́. Cibus eis solidior, vti arbitror, nullus: Qui.n. in sublimi æthere esse posfit? Adhæc si interiora spectentur inane nihil reperitur, sed totus venter inferior pinguedine tantum expletus conspicitur. Hæc auiculæ ipsius integra & certa historia, cui neotericorum peritissimi quiq; calculũ vno ore omnes adiiciunt, præter vnum Antonium Pigafetam, qui eam rostro prolixo & pedibus palmi vnius longitudine falsò depingit. Etenim rem aliter se habere, ipsemet iam bis (neq; enim pluries videre contigit) oculis, manibusq́ propriis liquidissimè deprehendi. Ac ne cõmenticia me dicere putes, testem protinus horum omnium in humanis adhuc agentem statuo, virum, cum doctrina, tum humanitate præstantem, Cæsarem Odonum Apulum, simplicium pharmacorum clarissimum indagatorem, atq; eorundem in Bononiensi celeberrimo orbis terrarum gymnasio professorem, in cuius ędibus, postq̃ Romæ in aula Illustrissimi Principis Octauii Farnesii inclytæ Parmensium Ciuitatis Ducis præstantiss

mi semel vidissem, iterum intueri concessum est, notis iisdem omnibus quas retuli. Ne igitur si res vel testibus esset comprobanda, illorum penuria laborare viderer, viri eius omni laude dignissimi testimonium in medium afferre libuit, quando & honoris item causa tanti nominis hominem minimè prætereundum censeó. Verum enimuero cur huic tam ad mirabili nobiliq; auiculæ nemo hactenus ex recentioribus nomen apud veteres scriptores inuenerit, mirari equidem satis non possum, in tanta eruditorum frequentia. Plutarchus profectò grauissimus auctor in Artoxerxis Persarum Regis potentissimi vita memorat, in Persis paruam quandam auem nasci in qua nihil inueniatur excrementi, sed interna omnia sumine atq; adipe plena: ac proinde aëre eam, atq; rore solum nutriri cūctos mortales arbitrari, esse vero nomen ei Rhyntaci. Diuersa sit à Manuco diatta, nec ne, seuerioribus rerum harum æstimatoribus perpendendum relinquo. Ego sanè vt non planè contendo, ita certè propēsissimus sum vt credam, quando tantum abest, mea sentētia, vt Manuco diatta & Rhyntaces dissideant, vt prorsus eædem notæ vtriq; conueniant, quòd & Rhyntaces magna quondam in existimatione apud eosdē Persas habita sit. Hāc Ctesias prodidit cultello altero latere veneno illito Parysatim diuidisse, dimidiam partem veneno infecisse, & quæ veneno intacta atq; incorrupta erat, ipsam in os coniectam exedisse, Statyræ autem venenatam partem porrexisse. Sed Dion ab hoc leuiter dissentiens, ait non Parysatim, verum Melantam partitum cultello Statyræ infectam carnem apposuisse. Vt non Plutarchum modo, verum etiam ipso multò antiquiores, Ctesiam & Dionem, Rhyntacis, hoc est Manuco diattæ seu Dei auiculæ meminisse,

in confesso sit. Porro cum animantia cuncta, quibus cerebrum suppetit, ex quorum numero & Manucodiatra est, post diuturnas vigilias, longasq; diei excubias, quiescere tandem, ac somnum capessere necesse sit, quando vt protritus quoque monet versiculus,

Quod caret alterna requie durabile non est,
iure quærat aliquis optimo, quùm auiculam istam nunquam in teram descendere dictum sit, quis eius quietis locus, quæúe naturæ tam admiranda vis ac potentia, quòd dormientem æquè atq; vigilantem semper in sublimi æthere consistere voluerit, mortuam autē deorsum ferri, inq; humum decidere, haud vetarit. Dissonum siquidem à ratione planè videtur, somno intentam, posse summo in æthere pendulam sustineri. Sed nec insomnem prorsus vitam trahere putandum, quòd id tormentorum omnium summa foret carnificina: quemadmodum nec è contra existimandum alteri rei nulli preterquam somno vacare, quod absurdum omnino esse, nemo sanæ mentis ibit inficias. Equidem illud præter alia mira miror maximè, communem rerum naturam vniuersam, prouidam, solertemq; atq; omnia continentem, auiculam hanc præ cæteris admirabili & prorsum suspicienda dote exornasse: quippe mas, fœminam dormientem dorso excipit, sustinetq; ne in solum prolapsa concidat, sibi interim à somno temperans: fessus, onus excutit, atq; tunc vice versa fœmina se se mari subiicit, somnoq; labentem & propè cadētem fulcit, ac quam fidelissimè sustentat.

FINIS.